

Eilhard Lubin

## **Eilhardi Lubini Apologeticus Quo Alberti Graweri Calumniis respondet**

Rostochii: Myliander, 1605

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730092771>

Druck Freier  Zugang





S. 629.





39/14  
5.  
EILHARDI LVBINI  
APOLOGETICUS

QUO ALBERTI  
GRAWERI

*Calumnijs respondet.*



ROSTOCHII  
Typis Stephani Myliandri

---

*Anno M. DC. V.*

CB

100

Universitäts-  
Bibliothek  
Rostock





Σ Υ Ν Ο Ε Ω,

*Illustrissimo Principi ac Domino*

**CAROLO,**

DUCI MEGAPOLITANO,

Principi Vandalorum, Comiti

Suerinensi, Rostochij & Star-

gardiaë Domino,

*Domino meo clementissimo.*



Vid me caussaë impu-  
lerit, Illustrissime Princeps, ut  
Apologeticum hunc meum,  
quem ipsa necessitas scribere  
me iussit, Illustrissimæ tuæ Celsitudini  
inscriberem: nemo opinor rogabit, qui  
quibus calumniæ telis hoc anno à mali-  
volis & invidis hominibus sine ullo meo  
merito oppugnatus sim, & etjam nunc op-

A 2 / pugner;

pugner, (nunquam, cum DEO, expugnandus) non ignorat. Cum enim bonorum principum inter multa alia officia, quibus supremum omnium optimum & maximum Principem DEum imitari jubentur & imitantur, non postremum fit, injuriam coercere, & innocentiam defendere: Et te DEus Principem in excelsâ illâ sede Patriæ tuæ collocarit, (& quo ipsa meliorem, & Justitiæ observantioriem nunquam experta est): meritò jam, post DEum, ad te confugio, & apud te, innocentiae meæ Patrocinium quæro, & jure quasi meo postulo. Annus jam est, quod in Illustri tuo Collegio hujus Academiæ, inter Theologiæ Professores cooptandus, ab hominib. malivolis (qui, quod Dei providentiâ, & celsitudinis tuæ arbitrio, & Collegij tui suffragio mihi offerebatur, invidebant) in Calvinismi suspicionem adductus sum; Hæreseos mihi, dum vixi (DEum testor, cui mentiri sine æternæ salutis jacturâ nec volo, nec possum) semper ex animo invisæ & exosæ; & cui hæresi nullâ unquam in parte, nullâ inquam, (ut explorator ille cordi-  
um

um DEus novit ) toto vitæ meæ tempo-  
re accessi, neq; unquam, volente DEO,  
accedam. Cum verò Diabolus nunquam,  
fit perniciosior, quàm cum Pietatis pallio  
se venditat; hanc viam compendiosissi-  
mam, me evertendi, & mox è Professo-  
rum numero expungendi ratus est. To-  
to anno injuriam hanc, (quo nulli ho-  
minum major inferri potest) hucusq;  
non sine animi mei morsu & gemitu per-  
tuli. Verum cum calumnia illa initiò  
mussitare contra me, & in aurem clanculū  
alijs susurrare solita; mox quasi suggestum  
scandere, & publicis scriptis jam palàm in  
me debacchari non erubescat: non solum  
hoc publico scripto calumniam illam re-  
tundere, & intentati mihi erroris suspi-  
cionem à me profligare coactus sum; ve-  
rum etiam hujus scripti inscriptione ad  
Celsitudinis tuæ patrocinium confugere,  
illâ nihil aliud quærens, quàm ut inno-  
centissimum me, in causâ hâc meâ, (quâ  
DEus novit esse justissimâ) contra occul-  
tè serpentis calumniæ venenata tela, qui-  
bus ab invidis & malivolis, (sive hic,  
sive alibi illi sint, ego ignoro, DEus no-  
vit)

vit) indies oppugnor, clementissimè tue-  
aris. Idq; Celsitudinem tuam Heroicâ  
promti animi magnitudine & fortitudine  
ultra facturam nullus dubito. Non eò so-  
lum, quod optimo Principe nihil sit in-  
dignius, nihil turpius, quàm permittere ca-  
lumniam & injuriam in homines miseros  
& innocentes impune grassari, & tyran-  
nidem suam exercere, & innocentiam e-  
vertere & pedibus proculcare: Sed eò et-  
jam, quod Illustrissima Celsitudo tua  
nulla minori injuriâ ab invidis hisce ca-  
lumniatoribus adfecta sit, quàm ego. Non  
enim jam dicam, quod non solum te opti-  
mum & Celsissimum Principem, & Patriæ  
nostræ Patrem, pro salute Patriæ suæ Ec-  
clesiæ & Reipublicæ, & omnium suorum  
immensâ molestiarum & ærumnarum,  
mole excubias agentem, cum optimis tuis  
Consiliarijs; verum etjam amplissimum  
hujus urbis Senatam, viros integerrimos,  
hâc suâ calumniâ turbarint, & inani curâ  
& sollicitudine (ad me quod spectat) pro  
purâ religione in hâc Academiâ retinendâ  
& defendendâ, sine ullâ datâ causâ, solli-  
citarint. Non illud etiam dicam, quod fa-  
cinus

cinus hoc nunquam machinati fuissent, nisi persuasum sibi habuissent, Celsitudinem tuam causâ non prius cognitâ, & me, alterâ parte, non audito, ad mei condemnationem & proscriptionem temerè processuram, & alterâ aure, optimorum regum, & Principum exemplo, alteri parti non indultâ, sententiam laturam fuisse. Quæ injuriæ quamvis in se longè maximæ & gravissimæ sint; illa tamen longè adhuc gravior & major, quod Diabolus per hæc sua organa, tuis, ô optime & laudatissime Princeps, virtutibus, quas odit & averfatur, in hâc causâ ad me innocentem pefundandum, & suum scelus & homicidium perpetrandum obliquè & insidiosè abuti conatus sit. Quò enim Heroica animi tui magnitudo celsior; quo tua fortitudo pro verâ Religione & Fide tuendâ & retinenda acrior; quo Zelus ille tuus pro DEI gloriâ, Ecclesiæ salute, Patriæ pace & concordia defendendâ vehementior, & laudabilior; & quo deniq; ardentiori odij affectu jure suo, justissimè odisti tum hæreticos, tum simulatores & dissimulatores fidei, et religionis ipsis hæreticis nihilo

melioreſ , imò peioreſ : Hoc Diabolus ( qui , dum ſe bonum eſſe ſimulat , longè eſt peſſimus ) dum pallium Pietatiſ indutus veram Religionẽ ſe propugnare mentitur , tuam Celfitudinem citiùſ & faciliùſ , ad me innocentem evertendum , & ex illo loco , quem DEI præſidio & Celfitudiniſ tuæ patrociniò teneo , & , cum Deo , contra Diabolum & ejus directã in me ſpicula tuebor , deiiciendum & deturbandum ſe pertrahere poſſe ſibi perſuaſit . Tu verò , optime Princeps , huic injuriæ obviam ito , illamq; , quod te Deus , cuius vices geris , jubet , ulciſcere , me innocentem tuendo , qui DEI & tuo præſidio factiſ tutuſ ero , & meã innocentia , quam coram tuã Celfitudine , & toto mundo ubicunq; opuſ fuerit , quocunq; loco & tempore defendam . Provoco palã omneſ illoſ invidioſ & hoſteſ meoſ , prodeant palã , & ſi poſſunt , erroriſ mihi intentati me convincant . Si ejus veneniſ vel minima in me ſemuncia inventa fuerit , cauſſam non dico , quin cauſſã totã cadam , & merito meo ex omnium bonorum conſortio longè & latè proſſiger . Si  
verò

verò non fuerit inventa; Tu quæso, &  
Princeps, mihi post Deum patronorum,  
maxime, qui quod debes, hic potes, Deum  
& Christum ejus imitatus, increpa Dia-  
bolum, qui à Calumniâ nomen habet, &  
jube illum in posterum cum canibus suis  
me innocentem lacerantibus & allatran-  
tibus obmutescere, & me, humilimum,  
tuum clientem, clementiæ ac favoris tui  
clypeo tectum contra hostes meos, quos  
nec factò, nec verbo, imò ne cogitatio-  
nibus quidem, unquam offendi, tuere ac  
defende; & cum ampliissimo hujus urbis  
Senatu (qui suis sumtibus hanc Acade-  
miam cum tuâ Celsitudine liberaliter su-  
stentat & fovet) Pacis ac concordiaë pu-  
blicæ turbatores turbulentos, qui sine ul-  
lâ causâ in tranquillo mari tempestates  
& ventos concitant, coërce & compeſce.  
Et hoc celsitudinem tuam ultrò pro He-  
roicâ illâ, & te principe dignâ animi virtu-  
te & fortitudine facturam, nullus dubi-  
to. Cui omnia mea servitia & ministeria  
ex sincerâ & constanti animi fide etjam  
usque ad mortem offero; & vicissim me,  
& omnia mea commendo post DEUM

A 5

opti-

optimum maximum, qui illustri tuæ Cel-  
situdini longam vitam & firmam valetu-  
dinem benignè largiatur, & in felici ac sa-  
lutari Patriæ tuæ gubernatione suo du-  
ctu & auspicio tibi perpetuo præsto sit.  
Rectè vale, optime Princeps, & diu salu-  
briter impera. Rostochij, Pridie Mi-  
chaëlis, Anni 1605.

Illustris. Tuæ Celsitudinis

Obsequentissimus & fidelissi-  
mus Servus

EILHARDVS LVBINVS,





Σ Υ Ν Θ Ε Ω .

EILHARDI LVBINI

Apologeticus,

Quo se & Phosphorum suum à  
Calvinismi suspitione purgat, & homi-  
nis cujusdam inquieti calum-  
nijs respondet.



*Q*ua res non neminem  
à Sacrosanctæ Theologiæ stu-  
dio deterruit, & memeti-  
psum juniorem quondam ab  
illo alieniorem reddidit, Quod  
nimirum ejus professores varijs controver-  
sij, altercationibus, litibus ac jurgijs Eccle-  
siæ DEI parùm sepe utilibus, sæpius etjam no-  
xijs inter se & cum alijs implicari viderem ac  
dele-

dolerem : Illa me jam , non ita pridem in Theologorum ordinem ac Professionem in Academiâ hâc adscitum, omnium prima excipit & exercet. Benè habet Principium ! Non vult me Deus in delitiis , sed in castris habere , & hoc tali initio ostendit mihi , qualis mihi homini Christiano , in militiam Christi propius aliquanto & penitius admissio, vita imposterum futura sit , nimirum cum Diabolo , ejusq; angelis duellum , non nisi morte finiendum. Neq; sanè detrecto hoc, illo præsertim duce & auspice, qui hostes meos & suorum vicit, & pedibus proculcavit. Jamq; adeo experienciâ & usu ipso, exemplo domestico disco, Pacem cum alijs, jam non dico hostibus , cum quibus nulla pax esse potest , sed ne illis quidem , quos nunquam læseris , quibus omnia optima cupias , & quos benivolos amicos esse existimes, colere , & invitâ mortalium retinere, non nostri arbitij aut potestatis esse ; sed aliorum potius , quàm diu illam patiantur nobis indulgeri.

Prodiit hisce diebus liber quispiam amplissimo hujus urbis Senatui inscriptus de terminis & absurdissimis Calvinistarum absurdis , in cujus præfixâ ad Senatum Epistolâ,  
nec

nec satis compositè, nec Latinè, ut doctiores iudicant scriptâ, auctor me eorundem absurdorum longè omnium maximi & pessimi, & à quo ob enormitatem multi etjam Calvini discipuli abhorrent, & à reliquis dissident ( tanquã DEum Mali causam statuam ) insimulat, & omnibus bonis in hâc vrbe & Academiâ suspectum reddere conatur, Idq; ex verbis quibusdam Phosphori mei ante novem annos in hâc urbe editi, nec ex mente meâ candidè intellectis, nec satis bonâ fide citatis. Obstupui in initio, fateor; & mirari satis non potui, libellum illum iteratâ, auctâ, & correctâ editione jam dudum abolitum & sepultum, jam post novem annos, & plus eo, demum invenire, qui mortuum in vitam pertrahat, mordeat, & laceret, à quo vivus tanto tempore immunis ac tutus fuerit; Non absurdè Proverbij illius recordatus: Larvas cum mortuis luctari solere. Miratus autem hoc sum eò magis, quod atrocis illius blasphemia, quâ causâ mali DEO impingitur, reus peragerer, à quâ, si quis unquam alius mortalium, semper toto pectore abhorruï, & cui, si vel totus mundus accederet, solus & unus nunquam essem accessurus. Longè verò adhuc magis  
demi-

demirabar, hujus blasphemiae documenta & argumenta ex illo libro colligi potuisse, qui alterâ suâ parte, quâ contra Manichaeos non dirigitur, totus quantus quantus est, illam Calvinii sententiam de industriâ, & ex auctoris sui proposito, oppugnat & labefactat, & DEVM ab omni mali vel minimâ & levissimâ suspitione, in solidum vindicare conatur. Huc deniq; illud accedit, quod maximè omnium ἀξιολόγητον, & admiratione dignum, tale quid ex libello illo à Christiano homine, contra me tentari potuisse, in cujus calce coram toto mundo protestabar: Si quid in illo libello imprudens dixissem, verbo DEI, & Sacrosanctæ ejus Ecclesiæ repugnans & non consentiens, illud auctori suo fraudi esse non debere; Illud indictum esse debere; memetipsum meo proprio illud calculo, antequam à me scriptum esset, ultrò condemnare, & monitum illud mutare velle. Promittens identidem, neminem tam promptum fore ad monendum, quàm me ad mutandum. Et hujus promissionis meæ non verbo solum factæ, sed re & opere ipso præstita, ac probata, in iteratâ editione documenta & testimonia plurima ostendere, longè mihi est promptissimum. Et  
quod

quid ni demirer, nihilominus tamen inveniri potuisse, & inventum esse Christianum, qui caritatis ac pietatis proximo, etiam hosti debita (nisi publicanis & peccatoribus nihilo meliores esse voluerimus) oblitus, & nullam unquam injuriam à me laceffitus, hoc suo inhumano & crudeli facto, non tam libellum meum, quam meipsum petierit, & me non solum ex loco & conditione meam expungere & deturbare, verum etiam, quod gravius, honestam famam, & existimationem apud omnes bonos spoliare, omniq; gratiam & clementiam apud Illustrissimum meum Principem Dn. CAROLUM, Ducem Megapolensem, &c. verae Religionis ac Fidei adsertorem ac vindicem laudatissimum, & nunquam satis laudandum exuere, exutumq;, & cum ignominiam ejectum ad haereticos relegare, & ad bonos aditum & viam omnem intercludere, non obscure machinatus sit. Deus bone! In qua tempora reservati sumus? Haccine in Christianum pectus potuisse cadere!

Quamvis autem quid hoc anno vix dum elapso in hac Vrbe & Academia gestum sit, & mihi acciderit, ignorant, res hac, & factum hoc

hoc

hoc jure contemnendum videri possit; & forte non illius momenti aut ponderis, quod ullo scripto Apologetico magnopere reponi, aut vindicari mereatur. Videtur enim auctor nō tam me ipsum, erroris illius ac blasphemie in solidum convincere voluisse, quam verba illa mea, quae errorem illum praeseferant, vel saltem ferre videantur. Alijs tamen, qui quid anno hoc mihi contigerit, juxta mecum norunt, viderunt, & audiverunt, longè aliter videtur, & res gravior, quam vir bonus, & sui non prorsus prodigus, possit aut debeat contemnere. Quae quamvis ita se habeant, novit tamen ille cordis anfractuum & renum explorator DEVS, quod, si meo arbitrato mihi relictus aut indulius fuisset, nec facinore hoc fama simul & conditioni meae huic, ut mox demonstrabo, insidiae stuerentur apertissimae, contemnendam hanc potius injuriam, quam vindicandam judicasset. Didici enim tales homines non aliter placandos esse, quam rabiosos & latrantes canes, quos ut silendo evitare, & irritatos bonis verbis mitigare non infima est prudentia; sic furioso latratu illis respondere, & ex insanis insaniores reddere, insania est, ac summa dementia. U.

Ut autem neminem unquam vel verbu-  
lo provocatum in ullam contentionis arenam  
protraxi, & à Philovevicias vitio, execrabilè  
illo animi morbo, à naturâ semper abhorru-  
i. Sic (pro quo Deo meo gratias ago) injuriarum  
facillimè, & quidem, (Deum testor) ex animo  
possum oblivisci, & illatas devorare, & brevè  
temporis spatio concoquere. Et quâ meâ placa-  
bilitate fortè hanc, certè non semel novas in-  
jurias mihi accersivi. Et quid magnopere in-  
digner si innocens ledar ab illo, qui non tam  
me, quàm seipsum ledit? Absit enim ut impro-  
bos virum bonum ledere posse concedam. Nam  
vel ex Philosophiâ discere debui, neminem nisi  
à semetipso ladi, nulliq; hominum capitaliorem  
hostem esse, quàm quivis ipse sibi ipsi est.  
Quis autem meipsum, hoc est, illa quæ proprie  
mea sunt, meam animi mentem & Conscien-  
tiam verè poterit ledere, hoc est, impietate &  
scelere polluere, præter meipsum, & nisi ego  
met ipse consentiam? Et quid me ab alio læ-  
sum indoleam, quem præter & extra meipsum  
nemo læserit? Socratis, quantum vis Ethnici  
animosam vocem sæpè miratus sum, qui cum  
ex mortifero poculo cicuta venenum innocens  
hausisset, jam morti vicinus ultima illa verba

B

emisit:

emisit : Εἰ ταύτη τῷ Θεῷ Φίλον ταύτη γλυέσθαι.  
'Ανυλῶ καὶ Μελίῳ ἀποκτείναι με μὴ δύ-  
ναται, βλάψαι ἢ ἴ. Si Deo ita placet ita  
fiat. Anytus & Melitus occidere quidem me  
possunt, ledere verò non possunt. Quis autem  
innocentem ledat, qui semetipsum non lese-  
rit? Et quid doleat ille, qui est innocens? Ni-  
mis fracta & muliebris, & minimè Christiana  
est illa Poëta vox :

Leniter ex merito quidquid patiare ferendum est,

Quæ venit indignè pœna dolenda venit.

Immò verò illa venit gaudenda & latan-  
da. Et Socratis illud mihi placet, qui conjugii  
Xantippæ muliebriter ejulanti & querenti,  
quod innocens moreretur; Itane verò, renidens  
respondit, nocens mori debui? Porro fama &  
rumor sermoq̄, vulgi, & quid quisq̄, de nobis ex  
animi impotentiâ & morbo loqui velit, cum  
non sit nostri arbitrij, sed extra nos; illis pro-  
priè vir bonus non leditur; Imò verò tanquam  
singulari gratiâ Dei beatur. 'Εν τῷ το, inquit  
sanctus ille Pater, πᾶν τὸ Θεῷ χαρισμάτων  
ὑπὸ πᾶν κακότητων φθονῶς καὶ δαβά-  
λεως. Hoc unum gratiæ DEI munus, ab im-  
probis invidiâ peti, & calumnijs proscindi. Et  
Salvator meus, Beati estis, inquit, cum con-  
vitiati

vitiati & persecuti fuerint vos, & dixerint  
quidvis mali adversus vos, mentientes, Gau-  
dete & exsultate. Nonne Salvator noster à Ju-  
dais improbis nebulonibus Samaritanus Demo-  
nium habens, & consors Principis Diabolorum  
vocatus, longè atrocissimis calumnijs traductus  
fuit? Egone homuncio agrè ferrem, hæc mihi  
contingere, qui, quamvis hic innocens, ob mul-  
tiplicia peccata, quibus etiam sanctissimi Deum  
quotidie ad iram provocant, hisce longè gra-  
viora jure paterer? Et prodest à Sathana an-  
gelis quotidie colaphis exerceri & fatigari, ut  
Patientiam & Humilitatem discamus, sine  
quâ Deum nemo videbit. Cum ergo viro bono  
non tam Fama, quàm conscientia curanda sit,  
sanè ubi hanc Dei virtute & præsidio in viola-  
tam possidet, frustra profecto, & ineptè dolet,  
homines, qui fortè benè dicere non didicerunt,  
malè dicendo illam allatrare & adrodere. Hisce  
& similibus causis adductus, equidem apud  
me constitueram alto potius animo injuriam  
hanc dissimulare, quàm ulcisci, nisi collegis a-  
micisq; meis, viris magnis & sapientibus aliter  
visum fuisset, idq; non solum meâ, verumetjam  
suâ & aliorum causâ. Non injuriâ enim in  
cõmmuni cum hominibus vitâ hominis crude-

B a lis

tis esse iudicatur, & si non sui ipsius, saltem alio-  
rum & proximi sui nimis securi & prodigi,  
Conscientiã solummodo curare, & illasam cu-  
stodire; Famam autem, & existimationem  
suam apud bonos bonam negligere, & cuilibet  
intemperantis linguæ traductori violandam  
prostitueret. Nam utrâq; viro bono opus est,  
bonâ famâ pariter & conscientiã, hâc propter  
se, illâ propter alios. Vt enim vel maximè  
conscientia mea me mihi ipsi & Deo meo ex-  
cuset, qui mecum cordis mei adyta, & conscientia  
penetralia unus & solus perscrutari potest;  
Hoc tamen proximo meo non sufficit, qui conspici-  
acie mentis suæ pertingere non potest; sed alijs  
externis argumentis & documentis in oculos  
& sensus quodammodo incurrentibus sibi satisfac-  
fieri postulat.

Dabo ergo hunc Apologeticum cum omni-  
um bonorum veniã (quibus hostiles controver-  
sia inter amicos, & ejusdem Fidei & Religio-  
nis professores suo merito inuisa & exosa sunt)  
non meis, sed hujus sæculi moribus, quo non de-  
sunt quorû vita est disputare; qui contendere  
malunt, quã vivere; qui alios carpendo volunt  
innotescere; qui viros bonos & innocentes ever-  
tendo crescere volût & emergere. Quod dũ facio  
coram

coram omnibus bonis , ut Ictorum verbo utar,  
protestor, me invitum & reluctantem in hunc  
contentionis campum protrahi. Faciam autem  
hoc illâ animi moderatione , quæ Christianum  
deceat , nihil adfectibus indulturus , quibus  
quicumq; transversum rapiuntur , ab illis ve-  
ritas & Spiritus sanctus exsulat. Idq; ut facere  
possim, Deum oro, veritatis fontem, & innocen-  
tia vindicem. Dicam autem ordine & brevi-  
ter quæ me hætenus calumnia , & ex quibus  
causis , & quo meo merito, premere, vel etjam  
subvertere conata sint. Ex quâ narratione  
æquus & benivolus, & nullo præjudicio præoc-  
cupatus lector, ( ad quem provoco ) quæ hujus  
scriptionis fuerit necessitas cognoscere , quæ ad-  
versarius Epistolâ suâ molitus sit expendere,  
& libero suo calculo me in hâc causâ, vel con-  
demnare poterit , vel absolvere.

Novem jam anni sunt , & plus eo, quod  
Phosphorum illum meum hic edidi, nec ante  
tamen, quam illum iudicio ac censura præstan-  
tissimorum virorum & Theologorum subjecif-  
sem, inter quos jure primo loco nomino Davi-  
dem Chytræum, virum toto orbe Christiano  
inter doctos & bonos notissimum , qui ex uno  
alteroq; loco, mecum contulit, & perlectum li-

bellum non improbat. Qui cum mox edere-  
tur, à pluribus lectus & distractus est, sic ut  
post triennium Bibliopola de editione iteran-  
dâ me conveniret. Interim, ne quid disimu-  
lem, non defuerunt viri graves & cordati, mi-  
hiq; amici, qui mihi significarint, esse, qui in-  
dignius ferant, Aristotelem liberius aliquan-  
to in libello illo à me fuisse reprehensum. Motus  
sum amicâ candidissimorum & optimorum  
virorum admonitione, sic, ut in iteratâ editio-  
ne Apologiâ quâdam præfixâ illos placare co-  
natus sim, & si quid in toto libello asperius a-  
cerbiusq; in Philosophum dictum esset, in uni-  
versum sustulerim.

Minus tamen hanc rem apud Christianos  
contra Ethnicum invidiæ habituram ratus  
sum, quod causam fidei & Religionis nostræ  
contra Philosophum agerem, omnibus bonis &  
Christi fidelibus longè omnium maximè favo-  
rabilem, & malè fundata Principia ejus Phi-  
losophi everterem, quibus stantibus æternitas  
mundi fulcitur & superstruitur, hoc est, DEI  
verbum & veritas, & ratio omnis Christiani-  
tatis ex animis hominum tollitur, & profliga-  
tur, & ad omnem impietatem via sternitur  
longè latissima. Nemo interim unquam in-  
ventus,

ventus, qui vel ob tantillum absurditatis Calvinistica libello illi meo adpersa dicam unquam mihi scripserit. Quod si quidam jure & recte se facere posse visi sibi fuissent; haud dubie utraque manu occasionem inde sibi rapuissent, libellum illum meum una cum auctore suo unam eademque operam proscribendi. Interea iteratam editionem adornaturus, ut rectius libello illi meo, mihique consulerem, & quemvis lectorem ipsi aequiore redderem, non solum omnem aspersionem in Philosophum, quae quosdam offenderat, tollere constitui, verum etiam ut plenius & exactius in proposita materia erudirer, Argumentum libelli cum alijs quibusdam questionibus ab Aristotelicis in controversiam adductis, De Materia Primae, unde Malum, de Divisione Continui, de Mundi & motus ortu, & utrum Mundus ab aeterno esse potuerit in Theses redactum, publicis Disputationibus examinandum proposui. Quod dum facio, variis aliorum, ut in congressibus hujusmodi usui venire consuevit, conatus expertus sum & sustinui; nec e Thesibus solum, verum etiam ex ipso libello varia mihi objecta. Non unquam autem tale quid, quale παρὰ δόξαν Calvinianorum auctor, omnibus illis oculatior

post decennium demum primus videre potuit,  
mihiquē impingere molitus est. Inter alia, dum  
ultimam quæstionem examinandam expono,  
Contentio mihi nata, cum quodam Collegâ mi-  
hi carissimo, cum quo paullo ante fraternæ a-  
micitiæ fœdus mihi contractum erat; idquē præ-  
ter spem & expectationem meam, & illud eo  
magis, quod idem Collega meus argumentum  
illud de æternitate mundi, cum quæstione sub-  
iuncta, contra Aristotelem, Proclum, Aver-  
roem, jam ante octennium (cum nondum Pro-  
fessor esset) ex iisdem fundamentis, thesibus non  
minimâ sui parte ex Philippi Mornai de Ve-  
ritate Religionis Christianæ libro (quem & ipse  
secutus eram) depromtis, ad disputandam pro-  
posuisset. In quâ quamvis acri, & nobis parum  
dignâ velitatione, nulla de absurdis Calvinia-  
norum facta mentio, sed tantum, quod Aristo-  
telis dogmata impugnarem. Dum hæc agun-  
tur, iterata libelli mei editio paucis ultimis pa-  
gellis exceptis, jam adfecta & absoluta erat.  
Postulat illam dictus Collega meus inhiberi &  
supprimi. Quod cum à Magnifico illo tempore  
Rectore significatum mihi esset, duo exempla  
libelli nondum adfecti, ei obtuli, reveren-  
ter identidem petens, ut non solum ipse perle-  
geret

geret, verum alterum Collegæ dicto mitteret,  
ut si quid correctione & animadversione di-  
gnum inveniretur mihi significarent, pro  
mittens, me illud, antequam reliquis pagellis  
adjectis, ederetur liber, quidquid esset ultrò re-  
cantaturum & condemnaturum, & candidis  
admonitoribus gratias acturum. Interim ali-  
quot hebdomadibus elapsis cum nemo quid-  
quam contradiceret, & controversia illa inter  
nos collegas multis præstantissimis viris præsen-  
tibus in solidum componeretur, libellus ille  
meus reliquis pagellis adjectis operâ Typogra-  
phicâ absolutus est. Hæc eò expono, ut omni-  
bus bonis innotescat, nunquam scilicet prius  
libellum illum meum hæreseos Calvinistica  
insimulatum fuisse, quàm cum in Ordinem  
Theologiae professorum admittendus essem.  
Interim quàm primum innotuit, & vulgo  
sparsum fuit, me cum alijs duobus Collegis ac  
fratribus meis loco & ordini illi jam de-  
signatum esse, continuo Calumnia tubam con-  
tra me inflare, & auras undiq̃, quibus vela  
sua adversus me impleret, captare, & plenis  
velis, vento pariter & remigio in me potissi-  
mum invehi & ferri cepit. Principio unum  
absurdissimorum esse clamitans, Poëtam ad  
B s Theo-

Theologiam profitendam vocatum esse. Risi  
calumniatoris stultitiam, quod eò ipsò, quo o-  
pinionem aliorum de me studebat atterere, im-  
mensum mihi augetet, Poëta nomen stoli-  
dissimè mihi attribuens, quod longè augustius  
semper mihi visum, quàm ut quisquam hoc sa-  
culo jure sibi arrogare possit ac debeat. Inte-  
rim si homines verè Theologi fuissent, non igno-  
rare debuerant, non Aristotelem, Platonem,  
aliosve Philosophos à Divo Paulo citari in  
divinis illis Epistolis, sed Poëtas; Illiusq;, qui  
olim rudes piscatores, opiliones, bubulcos, pu-  
blicanos salutaria sibi organa reddere potuerit,  
potentiam in me, aut quovis alio, nondum  
fuisse clausam. Hæc calumnia cum minùs  
valida ad me subvertendum, aut saltem pre-  
mendum judicaretur, admoventur alia, & illa  
quidem usu & experienciâ quotidianâ longè  
validissima, Calvinii heresi me infectum cla-  
mitans. Risi & hoc, & eò quidem impensius,  
quod ejus hæcenus ne levissimâ quidem suspi-  
cione ab ullo mortalium unquam fuisset im-  
petitus, & quo ab illâ toto vitæ tempore fuisset  
alienior. Interea collega & amici me admo-  
nent, rem non prorsus ridendam esse, ut qua  
non solum in urbe hæc, verùm etjam in aullâ  
magnis

magnis viris auctoribus spargeretur, & jam ad  
aures etiam Illustrissimi & Celsissimi Princi-  
pis mei penetrasset. Hic verò demum facinoris  
atrocitatem, & periculi magnitudinem peni-  
tius aestimare capi, non ignarus Calumniam  
nunquam viris bonis & innocentibus perni-  
ciosiorem esse, quam illam quæ suum virus  
pietatis & religionis pallio tegit, illamq; in aullis  
præsertim veritatem & innocentiam non raro  
possundare & evertere, Et quæ plerunq; nocentes  
Fraterit, ex animatq; indignos, in- q; merentes.

Nilominus tamen innocentia ac verita-  
tis defensori ac vindici DEO confisus parùm  
aut nihil turbabar. Dolebam interea, non tam  
quod hæreseos illius insimularer, à quâ tamen,  
ut penetralium cordis perscrutator DEUS no-  
vit, ex animo semper abhorruï, quàm hæc-  
tenus dissimulatæ, vel potius simulatæ Fidei &  
Religionis, quæ non nisi in animum improbum  
& sceleratum potest cadere. Nam qui Religio-  
nem & Fidem quamvis hæresi contaminatam  
apertè fatetur aliquam saltem religionem co-  
lit; qui verò simulat & dissimulat: ille verè  
nullam. Certè ficta animi simulatio, ut sub-  
lesti hominis argumentum est, & in universa  
mortalium vitâ omnibus bonis & cordatis jurè  
mvi-

*invisa & odiosa ; sic in confessione fidei & professione Religionis est etiam longè sceleratissima , à moribus autem meis longè alienissima . Nam Achilles illud Homerici verè magis quàm confidenter & audacter jure meo de me usurpare possum :*

*Odi etenim ceu claustra Erebi, quicumq; loquuntur  
Ore aliud , tacitoq; aliud sub pectore celant.*

*Quanto autem magis in Professione Fidei & Religionis hoc valere debet ? Nunquam sanè fidem hominibus prestabit , qui in Professione Religionis (quam DEO singuli debemus) fidem frangit, & violat. Hinc autem eò plus periculi mihi pertimescendum esse judicabam, quo Illustrissimus meus Princeps, nunquam satis laudandus , hoc genus hominum jure ac merito suo magis odit & aversatur. Et demirabar artes Diabolo verè proprias, qui pro suâ versutiâ optimi Principis fortitudine & virtute, ac zelo pro verâ Religione defensandâ laudabili, ad sua scelera & homicidia perpetranda nefariè abuti conaretur. Nam & in hoc ipso Dei & Diaboli opera potissimum discernuntur, quod Deus sibi adversa & displicentia malorum opera pro suâ Sapientiâ & Bonitate, ad bonum & salutarem finem Ecclesia &*

sua & populi sui saepe convertit: Diabolus vero contra optimorum virorum in optimum finem directis virtutibus ad innocentiam persundandam, & latrocinia sua patranda oblique saepe abutitur.

At opera pretium est considerare quibus fundamentis subnixae hac Calumnia tela in me torserit. Principio, quia bis in Belgium fueram profectus. O rem ridendam! Quid enim, si illa sententia cordi unquam mihi fuit, ibi non mansi, ubi forte conditio non defuisset, certe ubi virorum doctorum conditio longe melior? Addebant me Philippi Mornai de veritate Religionis Christianae librum hic legisse, in Germanicam linguam convertisse, commentario illustrasse, disputasse, commendasse. O utinam hac peccatorum meorum summa esset! Verum hic etiam Diabolus insignem suam stultitiam prodebat. Neque enim liber ille, ullas Controversias inter nos & Calvinum tractat: Et extra Controversias inter nos invicem, a nostris Theologis plurima scripta esse, quae Calviniani magni faciant, & vicissim plurima ab illis scripta esse, quae a nobis utiliter & salubriter legi possint, & debeant, ne ipsa quidem Calumnia negare audeat.

Certe

Certè ad librum hunc Mornæi quod spectat, Deo meo immortali gratias ago, quod ad ejus lectionem me deduxerit. Deduxit verò magni illius Chytræi manu, cuius ego negligentiam pluris facio, quam ejus, (quos etiam ille vivus expertus est) obrectatorum obscuram diligentiam, & febriculosam eruditionem. Adfirmare autem ille non verebatur, libro illo Mornæi post sacra, nihil uspiam scriptum exstare homini Christiano hisce ultimis mundi sæculis utilius, salubrius, & necessarium magis. Et in eadem sententiâ sunt etiam in vicinis Academijs viri præstantissimi, qui hunc librum etiam vernaculâ linguâ interpretandum judicârunt, ut pluribus innotesceret. Et quibus aliàs cum Calvinianis super controversis fidei articulis est, ut cum Poëta loquar:

-- Vetus atq; antiqua simultas

Immortale odium, & nunquam sanabile vultus.

& proxius ἀπορον δὲ ut dicitur Ἰσ. 57. Hæc quoq; calumnia cum non suffectura videretur, aliunde hinc inde captabatur, & deniq; è Phosphoro meo. Et hisce tamen miseri & invidi homines nihil promovebant, nec aliud proficiebant, quàm ut se omnibus bonis calumnie per scelus de industriâ ad innocentem  
pre-

premendum quasita suspectos & invisos redderent. Et hisce deniq; motus, quidam verbi divini minister, (quem adversarius meus honoris causâ nominat, ego honoris causâ taceo) in concione suâ conquestus fuit, brevi fore, ut paucis senioribus mortuis Calviniani & Iesuita hæc loca, pulpita & suggesta in Academiâ & templis occupent. Quæ omnia quamvis longè lateq; se diffunderent, & in aullam etjam penetrarent, ibiq; optimi & laudatissimi Principis, ejusq; Consiliariorum animos in varias partes sollicitarent; plus tamen fidei toti collegio Professorum Principum, & alijs viris verè Theologis, de innocentia meâ, & injuriâ mihi illatâ testimonium ferentibus, habitum est, quàm omnibus bonis suspecta, & jam satis perspecta Calumnia, & mox Celsissimus Princeps nominationem Collegij sui clementissimè confirmavit. Nec sic tamen Invidia & Calumnia crudelis animi morbus possessorem suum ledens, interquiescere, & virus suum ebulliens compefcere potuit, quin in omnem occasionem intenta esset, quo lederet illum, à quo nunquam lesa erat. Nam paullò post nihilominus varij inter studiosos in hæc urbem rumusculi sparsi aures meas non semel feriebant,

bant, brevi fore, ut Phosphoro meo quidquam  
opponeretur. Gavisus equidem sum hisce ru-  
musculis, sperans fore quempiam, qui in ardua  
illâ, & Theologo pariter ac Philosopho dignissi-  
mâ materiâ, ingenij sui vires periclitaretur,  
meq̄, excerneretis quamvis utilioribus studijs me  
jamdudum destinâsem, & libellum illum me-  
um tot molestiarum mihi auctori suo, (quam-  
vis nullo suo merito) auctorem & causam,  
jam diu exstinctum & sepultum cuperem.  
Nihil interea minus timebam, quam fore  
quempiam in loco quadraginta milliariis, &  
ultra, à nobis remoto, cum hac Rostochij agita-  
rentur & spargerentur, & fore quempiam, qui  
toties frustra mihi intentata Calvinistarum  
absurda impingeret, idq̄, ex illo libro, & quidē  
in dogmate mihi semper omnium maximè in-  
viso, execrando, & execrato, à quo omnis na-  
tura, omnis creatura abhorret & refugit. Dum  
autem in eventum horum rumusculorum diu  
frustra intentus sum, illosq̄, vanas ociosorum  
hominum minas ipso tempore paullò post ex-  
stinguendas suspicor; idem denuo amici qui-  
dam mihi adfirmant, & quidem ante paucas  
hebdomades, vix quinq̄, septimanis ante, quam  
liber ille ad Senatum hujus urbis amplissimum  
mit-

mitteretur. Demiror profecto acumen & Lynceos oculos nostrorum hominum, qui Rostochij videre potuerint, quid Islebia per quadraginta & plura miliaria ageretur. Et malè metuo, nisi quidam hic cum vitulâ illâ arâssent, anigma hoc forte non inuenissent. Ecce autem interea liber hic cum absurdissimis Calvinistarum absurdis ad amplissimum hujus urbis Senatuum prodit, in cujus Prefatione auctor fidem illorum, qui hæctenus frustra rumusculis suis interminati mihi videbantur, in solidum liberat, & mihi evertendo, vel saltem traducendo & infamando, tanto jam tempore frustra admotos cuneos & arietes occultè serpentis calumnia, rursus admovent, & quod Diabolum jamdudum sperabam desperâsse, denuò tentat, & de integro periclitatur.

Terrebar die illo, cum hæc Epistola per amicum perlegendâ mihi mitteretur, in somnio alicujus præterita noctis, Deum testor, quo mihi videbar morsu canis ex improvîso adorti, arreptâ dextrâ manu mordicis detineri.

Quamvis autem à naturâ hujusmodi superstitionum acerrimus hostis sim, quæ DEI fiduciâ soleo irridere & contemnere; turbabar tamen aliquantulum, quod illâ ipsâ nocte filius

C

mihî

mibi natus esset, ex quo mihi animo concepta  
letitia non mediocriter temperabatur. Hac  
verò Epistola mihi perlecta omni me sollicitu-  
dine liberavit, & unde forte animi morsus &  
indignatio oriri potuisset, tacita letitia mihi ob-  
orta est, aestimanti, cum hujusmodi canibus  
collectandum mihi esse in ipso professionis meae  
Theologica primo aditu & ingressu. Et quid  
ni later, cum videam me Deo meo curae esse,  
qui suos non aliter tractat, & in continuâ mi-  
litiâ contra Diabolum ejusq; organa exercet,  
& sibi preparat? Certè hominis Christiani vi-  
ta alia non est. Ad me quod spectat, hujusmodi  
gratia ac favoris divini argumenta & docu-  
menta non detrecto, & Deum toto pectore oro,  
ut nunquam cum Diabolo mihi contingant in-  
ducia. Quo ergo animi proposito, quorum con-  
silio, & ubi locorum illud natum & agitatum  
sit, & quo meo merito hanc Calvinismi suspi-  
cionem adfricare mihi conatus sit absurdorum  
Calvinisticorum auctor, ex jam expositis &  
narratis quivis candidus ac benivolus lector  
liberè aestimare poterit.

Restat ut ad capita quedam illius Episto-  
la respondeam, & objectum mihi Absurditatis  
Calvinisticae crimen paucis diluam. Quod  
dura

dum facio, principio omnibus significo, quod  
dum mihi cum auctore illius Epistola lis est, &  
contentio, illa sit non cum homine, sed cum vi-  
tio, malevolentia, calumnia, invidia, & alijs  
hominibus, quos esse scio, sed qui sint ignoro,  
quibus impulsus hac forte adversus me molitus  
est. Deinde quod in fronte & calce utriusq; e-  
ditionis Phosphori mei adjectum est, identidem  
repeto & ingemino, quod, si quid in libello illo  
imprudenti mihi contra animi mei mentem,  
(quæ ab illâ absurditate alienissima est) aut  
aliâs contra Dei verbum impiè & absurdè di-  
ctum exciderit, illud à nullo mortalium prius  
condemnatum esse debere, quàm à memetipso,  
qui illud jam ante condemnaveram, quàm  
primam ejus libelli literam aut lineam exara-  
rem. Monitore tantum opus erat, sincero, &  
candido, non calumniatore, qui malam mihi  
mentem, ex suâ, adfingeret. Et quorsum mihi  
pudori ducerem, homo cum sim, errare me pò-  
tuisse, & errorem fateri & recantare cum hu-  
jus rei exempla habeam prisco & nostro seculo  
viros sanctissimos & maximos, ex quibus u-  
num D. Augustinum, & D. Lutherum nomi-  
nâsse, abundè mihi suffecerit? Hic frontem  
& conscientiam Paradoxorum auctoris con-  
C 2 venio,

venio, si quid absurda impietatis homini mihi  
exciderit, cur me non per literas privatim  
monuit? Nonne hoc ex Christi mandato ab  
homine Theologo fieri debuit? nonne toto hoc  
novennio fieri potuit? Quantulum autem  
erat illi non nocere, cui debebat prodesse? Ve-  
rùm ne amico quidem mihi illud prestare vo-  
luit, quod etiam hosti debet, nisi publicanis &  
peccatoribus nihilo melior esse, & audire cu-  
piat. Quod si privatim & amicè monitus non  
paruissem, tum deniq; fas fuisset omnibus dice-  
re. Diogenes Cynicus quamvis Ethnicus, ad  
Gracos, qui malè sentientes maluerant occide-  
re, quam corrigere: Πόνερον Ἰππικιστήτων, di-  
cebat, ὃ κενκαὶ κεφαλαί, παιδεύουσι τέττα, &  
ἢ δαπαλεῖνοι; Utrum pra manibus sumendum  
erat, ὃ devota capita! Corrigere hos, an inter-  
terficere? Et Augustinus ad Manichaum,  
quamvis teterrimum Hereticum, ait, se de e-  
jus correctione magis, quam de subversione  
cogitare. Hic, quamvis Christianus, de me e-  
vertendo prius, quam corrigendo cogitavit.  
Atqui nondum illo, cuius me insimulat, mor-  
bo laboro, nedum ut mihi tanquam deplorato  
ferrum & flamma adhiberi debeat. Verùm  
DEI presidio adhuc vivo, & irritas Diabolì  
machi-

*machinas irrideo, imò, ut arbores ventorum  
impulsibus agitate altiores radices agunt, &  
robur firmitus validius standi contrahunt; sic  
ego hisce Diaboli procellis & motibus. Et con-  
suetam Diaboli infelicitatem, cujus opera scele-  
ratissima DEus viris bonis in bonum solet con-  
vertere, hic etjam observo, & rideo, quidum  
de industriâ ledere me cupit, occasionem mihi  
imprudens obijcit maximorum bonorum. De  
titulo operis aliquid dicere propositum mihi  
non est. Verum ut ego nihil dicam, non de-  
sunt alij, qui insolentem illum, & vasti animi  
indicem titulum neutiquam probarint, & in  
illum Seneca illud competere adfirmant, de  
Pharmacopolarum pixidibus, quæ cum titulo  
remedia pollicantur, venenum intus contine-  
ant. Certè in universo opere nihil inveniri ab-  
surdius adfirmant, quàm illud, quod in Epistolâ  
ei præfixâ sibi auctor proposuerit, ut in meum  
scilicet per calumniam expuncti locum succe-  
deret. Nam illum aliquoties inter nos locum  
quendam per alios ambivisse, non ipse opinor  
negaverit. Si hoc illi propositum fuit, ut per  
meam ruinam ipse surgeret, aut damnum  
cresceret; certè aut DEum causam mali esse  
sensuit, qui hoc tantum facinus adprobatum*

*C 3            esse*

esset promoturus; vel alium quendam malum  
Deum & Diabolum res mortalium admini-  
strare, qui hoc opus esset adjuturus; vel nul-  
lum prorsus Deum mundo praefectum, qui in-  
nocentiam velit & possit defendere, aut ullam  
rerum humanarum curam gerat. Horum  
quodcumq; velit eligat, certè in castra teterrimo-  
rum haeticorum, quo alios nolentes cona-  
tur detrudere, ipse transijt, & dum pudenda  
aliorum absurda detegit, in τειχίσιον aliquod,  
& omnium absurdorum τεισ μέγιστον, ἡγι πα-  
ροδοξότατον se coniecit. Iam ad titulum quod  
spectat, praefectò verè Christiani & moderati  
illo titulo etiam in Catalogo lecto, de libro ne-  
scio quid sentire inceperunt, & mox à totius  
libri lectione sunt absterriti. Non quod Calvi-  
nianorum dogmata talia non sint, sed quod illo  
modo ad saniozem mentem reduci nolint, quem  
ille liber in fronte suà profitetur. Longè alium  
Medici nobis demonstrant, qui Phreneticos ad  
sanitatem mentis revocaturi, non illos tan-  
quam insanos increpant & objurgant, sed illo-  
rum morbum equiori animo ferentes miro il-  
los artificio equanimitatis, humanitatis, &  
mansuetudinis ad salutaria pharmaca invi-  
tant. At nostri saeculi fato fieri video & doleo  
6 Ty.

à Typographis quibusdam sagacissimis numero-  
rum accipitribus & vulturibus, etiam ex im-  
pietate in Deum, & virorum bonorum inju-  
riâ lucrum quarentibus, vix requisito superio-  
ris magistratus permissu, (quorum tamen pri-  
vilegijs, si Dñs placet, impietates suas muni-  
unt) quidvis passim extrudi. His meritò ad-  
do, defensionem ac præsidium Ecclesia DEI,  
fidei & Religionis sibi arrogare homines rixo-  
sos, turbidos, & inquietos, qui non sano judi-  
cio, sed animi morbo scribunt, & quosvis non  
hostes solum, verùm amicos etiam & ignotos  
provocant. Miserrimo profecto loco est nostrâ  
tempestate Ecclesia, cujus sacra sub defensionis  
pretextu non tam exponuntur, quàm prosti-  
tuuntur cuivis, vel inerti & ignavo, vel in-  
quieto & turbulento. Absq; quo esset minùs Ec-  
clesia Dei laboraret, minùs apud hostes malè  
audiret, minùs etiam ab hæreticis indies atte-  
reretur. Nisi Patroclus imbellis & ignavus ar-  
ma Achillis induisset, nunquam Hector de illo-  
rum spolijs postea triumphasset. Et, si nescis,  
hisce scilicet importunis & turbulentis Eccle-  
sia DEI defensoribus, si fas est dicere, debemus,  
quod passim videmus veræ Religionis ac Fidei  
confortes, ex urbibus, Academijs, regionibus

totis paullatim expelli & exsulare juberi, ubi  
longo ante tempore satis equo loco fuerunt.  
Quando unquam fando auditum fuit hereti-  
cos per crimina, jurgia, & diffamationes, ab  
errore in viam revocatos, & ad Ecclesiam con-  
versos fuisse? Et hoc tamen est, quod hi scili-  
cet tam præclari nostra Ecclesiæ & Religio-  
nis Promachi & defensores Eristicis suis scri-  
ptis jamdudum agunt: Sed quàm feliciter,  
quotidie experimur. Non loquor de viris verè  
Theologis, quos nostra Ecclesia ex Dei gratiâ  
adhuc habet plurimos, bonis, placidis, & mo-  
deratis, & eo sine scribentibus, ut Ecclesiam  
adificent, & hostes Ecclesiæ reconcilient, non  
magis ab illâ fugent, abigant, & avertant.  
Consule scripta quorundam, quis calor odij, li-  
voris, malevolentia, & pravorum adfectuum  
in illis serveat & ardeat, contra & adversum  
eos, quos ad se postulant redire & converti.  
Neq; enim errores oderunt, sed homines erran-  
tes ipsos, neq; tam in vitia & hæreses invehun-  
tur, quàm in homines & ipsas personas. At  
contra consule scripta veteris Ecclesiæ & san-  
ctorum patrum, contra hæreticos nostri tem-  
poris hæreticis nihilo meliores aut inferiores.  
Ubi unquam talem inscripti libri titulum  
inve-

inveneris? Nusquam. Nimirum longè aliis  
in illorum scriptis & libris viget dominaturq̃  
Spiritus, non destruendi sed edificandi Eccle-  
siam, non hostes ab Ecclesiâ avertendi, sed ad  
Ecclesiam revocandi, Spiritus caritatis, beni-  
volentia, humanitatis, & mansuetudinis etjam  
hostibus bene cupientis. Spiritus, inquam, Deis  
non odij, livoris, contentionis, malivolentia, et-  
jam amicos & ignotos morbo animi provocan-  
tis & lacescentis. Cujus autem & unde Spiritus  
ille sit, illud ne quæri quidem debet. Nec  
est, quod quisquam Divum Lutherum mihi  
objiciat, ejusq̃ librorum inscriptos titulos. Duo  
cum faciunt idem non est idem, inquit Comi-  
cus. Quod enim ille fecit Heroico divini Spi-  
ritus ardore & fortitudine, quo etjam regum  
& principum animos domuit & fregit: Illud si  
adversarius meus, aut ego imitari conaremur,  
non immeritò stultitia & temeritatis nostræ  
pœnas lueremus. Quod enim illi heroica animi  
fortitudo est, Dei Spiritu plena: In nobis est  
animi morbus, & ignava impotentia & ve-  
cordia. Nunquid autem pacis, aut reconcilia-  
tionis, aut ullius boni sperari potest, si cum hæ-  
retico homo insanus & turbulentus ad con-  
sendendum componatur? Num ille alium à

C 5 morbo

morbo liberare & curare potest, qui ipse animi morbo laboret? Quis unquam duos rabiosos canes aut truculentas & invicem sibi infestas bestias, in theatro composuit, & pacem inde speravit? Nonne hujusmodi spectaculi finis est mors, vel utriusq;, vel saltem alterutrius? Notum est Comici illud:

Baccha bacchanti si velis adversarier,  
Ex insanâ insanio rem facies, feriet sapiens.

Certè in talibus scriptis & disputationibus dominantur adfectus & præconceptæ opinioniones, quas unusquisq;, sibi defendendas proponit, si ve contra alium scribat, si ve contra se scripta legat. Quis hic locus est Spiritui veritatis, & pacis concordiaq;, auctori Deo? Et quod omnium maximè indignum & intolerabile, jam turbulenti homines magni Theologi, & Ecclesie defensores audire volunt, quorum Eristicis scriptis, & profanis de Sacris DEI mysterijs disputationibus contentionibusq;, acceptum ferimus, eo rem jam deductam esse, ut non rudiores solum & Idiota, verum docti quidam fateantur, illorum litibus omnia certa sibi incerta reddi, seq;, animis variè distractis & in transversum raptis jam fermè ignorare, quid ulterius credere debeant. Quam verò diu hæc licentia,

centiâ, hæc impunitas, quidlibet in quemlibet  
cuilibet scribendi in Ecclesiâ DEI indulta fue-  
rit, non est quod misera & afflictâ Ecclesia  
aliquid salutis in posterum polliceamur. Certè  
Diabolus Ecclesiæ DEI plus nocet per hujusmo-  
di turbidos & præposteròs ejus defensores, quàm  
per apertos hostes: Nec tantum nobis periculi  
ab illis, qui palam nos oppugnant, quàm qui  
malè nos defendunt, & suâ culpâ causam ve-  
ritatis, atq; adeo ipsius DEI perdunt, imò Dia-  
bolo ejusq; Organis Hæreticis produnt, inenar-  
rabili Ecclesiæ damno & exitio. O si olim  
Deus Ecclesiæ suæ misertus excitaret aliquem  
Carolus Magnum, aut ejus similem Impera-  
torem, qui huic Ecclesiæ vulnere tam alte in-  
flicto remedium inveniret, & improborum Ty-  
pographorum quorundam, numorum accipi-  
trum, vel ex manifestâ impietate in Deum &  
homines lucrum captantium licentiam coher-  
ceret, & nocendi privilegia; & Christum imi-  
tatus juberet Diabolum obmutescere, & rabio-  
sos canes silere, & munus Ecclesiæ Dei de-  
fensandi delegaret viris bonis, placidis, mode-  
ratis, spectatâ probitatis Fidei & pietatis, quæ  
non animi morbo, sed judicio sano scriberent,  
nullo alio fine & proposito, quàm alios juvandi.

infix-

infirmos confirmandi, aversos convertendi, & gloria Dei, & Sacrosanctæ veritatis studio, sine ullo humana infirmitatis aut malivolentiæ affectu! Et simplicem sacrorum Bibliorum veritatem nullis humana ac stultæ rationis figuratis fidiculis tortam, pio Fidei reverentiæ affectu legi juberet! Et hujusmodi libros, quibus jam mundus plenus est, & unâ operâ veritas & pax è mundo profligatur, undiq; comportatos, ad nubes usq; exstructo rogo, flammis absumeret & aboleret, nullâ unquam gratiori victimâ Deum placaturus, aut Ecclesiam illi reconciliaturus. ΑΜΑ ΤΑΥΤΑ ΠΩ ΔΥΝΑΙ, & quæ optari possunt, impetrari verò non possunt. Oportet enim tales hereses esse, & scandala. Va autem illis, per quos fiunt; & va illis etiam, qui quæ impedire debebant, non solum permittunt, sed etiam promovent. Cujus autem furoris est illa non impedire, quibus DEUS violatur, Ecclesia turbatur, bonorum animi offenduntur, pax è mundo fugatur, ut scilicet unus aliquis homo morbo animi sui satisfaciat, aut typographus quispiam ex Ecclesiæ damno, & aliorum contumeliâ numos colligat. Nam hisce ex aliorum damno lucrum est propositum, qui hujusmodi librorum citius mille ex-  
empla

emplaria distrahunt, quàm sacrorum Biblio-  
rum, aut Novi testamenti quinq; aut decem.  
Et hisce tantis malis tandem occurrere & ob-  
viam ire omnium bonorum intererat, & ad  
boni Magistratus officium imprimis pertine-  
bat, quæ homines privati tantum dolere &  
deplorare possumus. Sed missis hisce, ad ab-  
surdorum Calvinisticorum Auctorem rever-  
tor. Inscrispsit illa amplissimo hujus Urbis Se-  
natui. Quo hoc consilio fecerit, aut quorum  
instinctu, Deus novit, & alij, sine me, suspicen-  
tur: Ego de alijs mali quidquam nunquam  
facile suspicabor. Certè me præstantissimis illis  
viris, quibus cum vivo, suspectum reddere, &  
pacem & Concordiam in hâc Urbe & Acade-  
miâ, suâ illâ Epistolâ tanquam mâlo Eridos  
projecto, turbare conatus est. Sed conatu, Deo  
sit laus, irrito. Nam benè habet, quòd liber  
& Epistola illa non in tales inciderit, quales  
auctor, ex suo ingenio, non sine gravi illorum  
injuriâ, illos esse judicavit, qui nempe ex imbe-  
cillitate judicij à quovis calumnia vento facile  
impellerentur & raperentur. Non ego dico  
quod aliorum de Epistolâ illâ sit judicium, qui  
illam neq; Latinam, neq; compositam esse di-  
cant, & non solum miserentur discipulorum,  
qui

quibus talis praeceptor contigerit, sed indignan-  
tur etiam ob amplissimum hujus urbis Sena-  
tum, quem ille adeo maccum & stupidum ju-  
dicavit, ut Epistolam vel ex negligentia effu-  
sam, vel adfectibus turbatam, certe nec animo,  
nec stylo composito scriptam, ad illū mittere nō  
erubuerit, cum non ignoraret in illo apud nos  
ordine non deesse viros elegantissimè & erudi-  
tè doctos. Hoc ipso sanè insigni illum adfecit  
injuriā, quod judicavit illum unius hominis de  
Scholā judicium, tanto à nobis loci intervallo  
remoti, pluris aestimaturum, quàm totius fā-  
cultatis Theologicae, virorum praestantissimo-  
rum, sincerissimae Religionis & verè Theologo-  
rum, qui me non ita pridem in Collegium suum  
receperant; Quàm tot praestantissimorum vi-  
rorum in hāc Academiā; Et deniq; quàm  
suum ipsorummet judicium, & quodammodo  
sensum, cum in Amplissimo Senatu non desint,  
qui jam sedecim, & plures annos me familia-  
riter nōrint. Cujus autem frontis est, sibi po-  
stulare credi, se tanquam Lyncea per quinquā-  
ginta propè milliaria solum illa videre, & ex  
libro jam ante novennium edito, demum ob-  
servare, quae tot viri in hāc Academiā & Re-  
pub. tanquam bardi, blenni, lusciosi, & puer-

ma, tot annis coram videre & observare non  
potuerint? Quanta verò impudentia hominis,  
qui solus videri velit aliquid videre, ut tot a-  
cerrimi iudicij & acuminis viros, apud exte-  
ros stuporis & cecitatis arguat & traducat!  
At videri postulat, illud sollicitâ curâ pro Sa-  
lute hujus urbis & Academia fecisse, ne qua  
lupi & haretici ovile hoc irrepant & depopu-  
lentur. Nempe Islebiâ è Scholâ fas erat prodire  
aliquem Fabium Maximum, qui ignavis &  
sommolentis in urbe & Academiâ hâc veter-  
num excuteret, & caveret ne quid Resp. no-  
stra detrimenti capiat. Atqui forte ratus est,  
se in tales incidere, qui ad quodvis cuiusvis à  
quovis sine fronte & conscientiâ objectum cri-  
men è vestigio nigrum Theta, & atrum con-  
demnationis & mortis calculum sint adjecturi.  
Malè, imò verò pessimè de illis judicavit, qui  
quotidie in officijs suis longè aliud, rectiùs &  
æquius iudicium exercent, & quorum non  
nulli & ipsi hujus Calumnia non ignari sunt;  
Quippe ipsdem Diaboli telis quondam impetiti.  
Et qui, si illo, quo Epistolæ ad Senatum auctor,  
ratus est, modo, in hâc urbe procederetur jam-  
dudum ante me condemnati, honoris sui gra-  
dum nunquam occupâssent. Noluerunt ergo,  
sed

sed nec potuerunt aut debuerunt illud de me  
statuere, quo ipsi olim ante me cecidissent. Vix  
enim quatuor anni elapsi sunt, quod inter Con-  
sules & Senatores Reip. huius amplissimos re-  
tens electos, viri optimi & integerrimi, & cri-  
minis, cuius arguebantur purissimi, famosâ  
chartâ publicè adfixâ Calvinismi palam infi-  
mulabantur; & traducebantur, à tenebrione  
quodam, quicumq; tandem fuerit, nigerrimo.  
Et quis non videt ex eodem fonte calumnia &  
mendacii Diabolici, & hoc & illud profectum  
esse? Et demirari satis non possum, quid sit,  
quod illo tempore Δίαβολὸν me ignorârît, &  
præterierit, & non inter illos tanquam primum  
chorum ducere iusserit. Vtiq; cum liber ille,  
(ex quo illud exstruere conatur, quod ex illo  
nemo sanus unquam exstruxerit) jam ante  
quinquennium esset editus, & à nullo unquam  
in tale crimen adductus. Verùm illud Calum-  
niæ huius livorem, & atræ loliginis succum,  
nimis apertè prodit; quod, ut supra demonstra-  
vi; liber meus nunquam prius in Calvinismi  
suspicionem adductus sit; quam ego auctor e-  
jus in Theologia facultatem admittendus es-  
sem. At Absurdorum Calvinisticorum au-  
ctor, omnem hanc Calumniæ, & Invidiæ ac  
male-

malevolentia suspitionem, quod non de indu-  
striâ hac ad me evertendum aut saltem pre-  
mendum & traducendum agita verit, miro ar-  
tificio declinare conatur: Ait enim, evul-  
gatum hic esse Phosphorum quendam,  
tenebricosum, cujusdam Eilhardi Lubini.  
Et addit: Hominem non novi, nec quod  
genus litterarum, aut doctrinæ sectetur,  
scio. Quam verè hac ab ipso dicantur, ipse  
viderit. Neq; enim mendaci ipsum arguo,  
quamvis hac i'a se habere optem magis, quam  
sperem. Si secus res se habeat, homines alios  
fortè poterit fallere, Deum verò & seipsum non  
potest, & illam mille testem conscientiam, in  
corâ sâi dadev âugptavovta: quam, qui pec-  
cat fallere non potest, ut Ethnicus dicebat.  
Major verbis illius haberetur fides, nisi hic  
omnibus illa nota, essent, quæ hoc anno accidisse  
mihi superius exposui. Aut ergo fateatur me  
nôsse, aut alios viros bonos & innocentes, quos  
ipse in Epistolâ suâ testes citat, in suspitionem  
hujus consilij & facti secum adducet, quam a-  
pud alios nec Rhenus nec Albis ipsis abluerint,  
ut Germani in proverbio dicimus. Si me Ro-  
stochij esse novit, & quis, cujusve Professionis  
sim; satis cuivis cordato liquet, quale adver-

D

sus

sus me facinus molitus sit. Si me nec quis, nec  
ubi sim novit, nec quæ quidam verbi Dei mi-  
nister in cōcionibus suis prædixerit, vel per lit-  
teras intellexit, vel ex aliorum relatione co-  
gnovit: Cur ad ejus testimonium provocat, &  
aliorum, qui tum mecum in eodem Collegio,  
Philosophorum? Verum illi ultro disertè ne-  
gant, vel me ex ullis meis scriptis Calvinismi  
insimulâsse, vel quidquam super hac re cum  
Absurdorum Calvinisticorum auctore com-  
mercij habere. Aut ergo ille falsus, aut nos  
stupidi, qui hæc intricata expedire, & dissoluta  
colligere non possumus.

Quod per contemptum cujusdam Eilhar-  
di Lubini ait, seq̃ me novisse negat, tantum  
abest ut egrè feram, ut ultro mihi gratulaturus  
fuissem, si nunquam illi innotuissem, & alijs, si  
fortè quibus alijs, per libellos quosdam meos,  
ἡλιθιωδῶς τῶνδε. Quos etsi magis juvenili te-  
meritate, quàm maturo animi judicio, emisi a  
juniorum tamen studijs si non profui, saltem  
prodesse volui; neminem certè læsi, nec ullius  
boni famam & existimationem honestam un-  
quam imminutum iri, aut meo nomine obscu-  
rus bonorum & meliorum obrectationibus  
studui innotescere. Quis autem ab hujus  
Episto-

Epistola auctore, ejusq; similibus ignorari non  
optarit? Et quidni haec verba, cujusdam Lu-  
bini, a quo animo ferrem ego humuncio,

Ense levis nudo, parmâq; inglorius albâ,

Ut Poëta loquitur; cum non desint nostrâ eta-  
te, qui aternâ immortalitate digna magni illius  
Melanchthonis monumenta vident incomtos  
& Epitomaticos cujusdam Philippi libros? In-  
terim age concedam illud, (quod omnes alij ne-  
gant) illum me non novisse; non vidisse, cum  
hic sub ysdem præceptoribus, quos recenset, me  
cum didicit; nec cum his fuit, illo tempore  
cum jam Poësin profiterer; nihil de me rescie-  
visse, cum audivit verbi Dei ministrum, cum  
Philosophis quibusdam, verba è libro meo, quæ  
citavit, improbare; nihil de contentionibus,  
quas cum Collegâ meo, consobrino suo olim ha-  
bui; nihil de verbis illis in concionibus illius  
ministri verbi DEI inaudivisse, quibus me  
pungi omnes judicabant; nec deniq; aliorum  
relatione edoctum esse, quinam in loca illa ad-  
sciti sint, quæ ipse ambuerit: Concedam falsas  
illorum voces esse, qui adfirmant, hæc nun-  
quam de me sparsa fuisse, si illi in loca illa ad-  
missi fuissent, in qua ego cum alijs receptus:  
Concedam deniq; viros & studiosos quosdam.

D a hic

hic Rostochij de factō & consilio auctoris hujus  
nihil rescivisse, neq; ejus unquam conscios fuisse,  
sed divino quodam Enthusiasmo correptos  
totâ hieme & parte aestatis anni præteriti vi-  
disse in Spiritu, quid Islebia in Scholâ ageretur  
contra me, & vaticinatos fuisse, fore ut aliquis  
Luciferum meum Hesperum esse, & occidere  
juberet, & Calvinismi insimulatum aternis  
orci tenebris sepeliret. Age, omnia hæc, quæ  
alijs absurda judicant, concedam, ut non solum  
videar, sed etjam sim talis, qualem adversarius  
meus me esse dicit, cum ait, Nimis es absur-  
dus. Atqui, ut vel maximè me non rōrit, &  
vera illa sint, quæ alijs falsissima & absurdissi-  
ma judicant; ne sic quidem virorum candido-  
rum nigrum de se calculum effugit. Non enim  
viri graves & cani (unde adversarius cogno-  
mentum habet) ignotos allatrare consueve-  
runt, sed canes. Certè ut canis ignotum alla-  
trat, sic stultus ignota, & non intellecta. Te-  
nebricosum vocat Phosphorum meum. Atqui  
merito hic quaritur, cujus vitio & culpâ talis  
sit, & cui imputari debeat, quod talis visus illi  
sit, libro meo, an lectori ejus? Ipse Sol noctuas  
occæcat, & tenebras illis inducit, qui aquilis  
saluberrimam lucem præstat, & visus aciem  
confir-

confirmat. Non desunt homines, qui lucem sustinere, vel non velint, vel non possint. Illi Latinis à tenebris & nebulis nomen habent, viro bono neutiquam imponendum. Nempe qui ad veritatem & lucem oculos ultro claudunt, & comprimunt, ut vel Solem è mundo sublatum cuperent, cum nihil dignum luce gerant. Hi imbecillioris visus tanquam lusciosi, peti, & strabones, ut Graci ajunt, *οὐκ ἔστιν ὀφθαλμὸς ἰσχυρὸς*, & quia oculorum acies illis est infirmior, à rebus lucidioribus & splendidioribus abstinere jubentur. In alterutro horum si invenitur absurdorum Calvinisticorum auctor, quid alteri imputat, quod sibi ipse debet? Nihil autem improbius illis est, qui ad imprudentiam impudentiam conjungunt, & qua non capiunt, illa carpunt.

Unum, non meam, sed aliorum virorum bonorum causam doleo, me invito & nolente in suspicionem si non communicati, saltem consilij à nullo bono adprobandi adduci viros bonos & innocentes, quorum in Epistolam suam expressam mentionem fecit. Quibus si non re & opere, saltem suspitione, hanc suam scabiem, viros bonos & innocentes calumnijs onerandi, adfricare conatus est. Ego ut de vi-

D 3 ris

ris bonis, mihiq; amicis nihil mali suspicor, illosq; ad me quod spectat, ab omni malâ suspensione in solidum libero & absolvo: sic quid alij suspicari velint, & suspicentur potestatis & arbitrij mei non est.

Jam ad Causse caput & jugulum tandem accedo, quem, cum DEO, non ita magno labore incidam & expediam: Eo quod, volente Deo, de integro justo tractatu demonstraturus sim, quàm sententia mea, quâ in Phosphoro exprimere volui, cum Theologorû nostrorû sententiâ per omnia conveniat, & à Calvinî, ejusq; discipulorum quorundam opinione dis dia τασων dissentiat. Jam summa tantum hujus rei capita tangam, & fastigia sequar. Demiratus olim sum Arianos Hereticos ex Divi Iobannis Evangelio pro blasphemâ suâ sententiâ quadam citare potuisse: cum illi blasphemiam evertendam & profligandam Evangelium illud contra Cerinthum & Ebionem à Divo Ioanne de industriâ certo consilio inter alia scriptum fuerit. Jam minus hoc demiror, cum mihi consimile quid (si vilissima cum preciosissimis, & humana cum divinis conferre licet) hisce diebus contigerit. Toto enim libello, quem  
Cal

Calvinismi incusat absurdorum auctor, duo  
mibi demonstranda proposita sunt. Unum,  
quod Malum non sit aliquod Ens, aut Princi-  
pium aliquod rerum verè existentium & ma-  
larum, ut est DEVS summum Entium Ens  
omnium bonorum & verè existentium Princi-  
pium; Sed quod mala tantum privationes sint  
& defectus rerum bonarum, & ob id non caus-  
sam efficientem, hoc est aliquod verè existens  
Principium habeant, sed causam aliquam  
deficientem, quam docendi gratiâ Enti oppono,  
& nihil voco cum Augustino, qui ait: Nullam  
Deo naturam esse contrariam. Ens enim con-  
trarium non habere, nisi non ens. Et Deo si con-  
trarium quæras, Nihil omnino esse. Hæc illo  
prorsus modo, quo D. Augustinus, contra Ma-  
nichæos disputo, qua si adversarij tantum ani-  
mo composito & sedato, & illo, quo scripsi ani-  
mo & ordine & vellent legere, & possent in-  
telligere, non modo nihil absurda impietatis in-  
venirent, sed solidissima è Sacris litteris funda-  
ta fundamenta, quibus solis Manichæi deliria  
& venena nostro etjam tempore aliquâ sui  
parte recocta, in solidum refutari possint. Al-  
terum in libello meo mihi propositum, est, Ma-  
lum non à Deo esse, sed esse defectum à Deo, idq;

per causam non efficientem Deum, cuius opera omnia sunt effectus, sed per causam deficientem, quam ex Augustino, ut dixi, docendi gratiâ, Nihil supra appellavi, ex quo omnia quae deficere possunt & Deo aequalia suâ naturâ non sunt, creata sunt. Bonum enim omne est, ut Augustinus, inquit, quatenus à Deo est: mutabile vero, quatenus non ex Deo est, sed ex Nihilo est. Huius autem mali originem fuisse in liberâ voluntate angelorum & hominum lapsorum, qui in se ab optimo creatore boni erant creati, sed finitè tantum boni, cum non ex Deo geniti essent, ut aeternus Dei filius, sed ex nihilo creati essent, & ob id à bonitate suâ, si vellent, rursus possent deficere. Est enim in Creatione à Nihilo vel non esse ad esse processus, & quidem extra Creatorem in tempore, unde ratio patet, cur nulla Creatura DEO aequalis & aeterna esse queat. Qui enim ex Deo est, hoc est, ex Dei substantiâ, & in Deo, unum est cum Deo, Deo coaeternus & coequalis, & ob id in deterius recidere non potest. Quidquid autem ex nihilo est, hoc est opus ad extra, extra Deum, & est creatura. Creati igitur omnia quia non sunt ex Deo qui solus est immobilis & immutabilis, sed sunt ex nihilo,

hilo,

hilo, ob id mutabilia sunt. Quod enim bona sunt, id à Deo habent, quod autem mutabilia sunt, habent ex nihilo, eâ tenus, quâ Deum deserunt. Creatura ergo Creatori similis esse non potest. Unde cum Creator sit aeternum & immobile bonum; Creatura bonum erat, sed mobile & mutabile. Ita tamen ut bonitatem suam retinere posset, quam diu Deo creatori suo immutabili Bono, quod poterat, adhereret. Poterat autem illi adherere, quippe arbitrij libertate donata. Et quâ tamen si vellet abuti posset. Hoc enim inter Creatoris & creaturae liberum arbitrium intererat, quod ille libertate illâ arbitrij sui nunquam ad corruptionem vel mutationem in deterius abuti posset, quippe immobilis in Bono suo aeternum perseverans. Creatura verò illud bonum mutabile & finitum erat consecutus quâ si vellet uti posset, & abuti, & quâ arbitrij libertate, ut angeli non lapsi, cum DEO aeternum potuit stare: Et quâ etiam sine Deo, cum Diabolo & reliquis angelis potuit labi. Nempe ante lapsum libertas ei fuit ad bonum pariter & ad malum. Ad bonum quod à Deo esset, ad malum, quod ex nihilo esset. Post lapsum verò postquam Bonum suum deseruit, libertas ad malum illi so-

lummodo relicta est. Quia verò in Deo, qua-  
tenus Deo adherent, est omnium creatorum  
Bonum; Cumq; Deus semper sui similis, atere-  
nus, & immobilis, se creaturis suis non subdu-  
cat, nec illas à se repellat: Sequitur, quod quid-  
quid lapsum est non eatenus sit lapsum, quod  
in initio à Deo sit desertum, sed quod prius pro-  
pria sua voluntate Deum, bonum suum, dese-  
ruerit, Deo nec cooperante, nec efficaciter vo-  
lente, sed permissivâ tantum voluntate per-  
mittente. Nam creatura non nisi cum DEO  
stare, non nisi sine Deo labi potuit. Quicumq;  
autem vel levissimam lapsus suspicionem DEO  
adtingit & imputat, ille attribuit ei, qui est  
summa omnium, quæ sunt, causa efficiens  
defectum, & attribuit illum lapsus defectum,  
summo entium Enti Deo, quod nihilo, ex quo  
omnia creata sunt, imputandum erat. Et hoc  
verissimè est absurdum absurdorum absurdis-  
simum, ut adversarij mei verbo utar. Ex qui-  
bus fundamentis contra Calvinum, & quos-  
dam ejus discipulos, (quosdam dico, nam multi  
ab Absurdo hoc abhorrent) concludo, mala  
omnia, quæcumq; fiunt fieri, non quoquo modo  
operante, vel efficaciter volente Deo, sed per-  
mittente, & permissivè (liceat mihi terminis  
hiscè

hiscē uti) volente. Aliud enim est volentes  
quidquam permittere, aliud efficaciter velle  
adiuvare & approbare quod permittas. Nam  
& homines certis de causis multa fieri ab alijs  
permittunt, quæ tamen non approbant. Cum  
enim Deus non sit deficiens, sed efficiens causâ,  
opera etiam ejus non sunt defectus, sed effectus.  
Non ergo potest effectivè, malum sive defectum  
velle & operari. Omnia ergo quæ sunt, quate-  
nus sunt, bona sunt, & effectus, per volunta-  
tem Dei omnium effectricem. Omnia vero  
mala, & quæ à bono deficiunt, non fiunt à Deo,  
sed permittuntur fieri in illis qui bonum suum  
in initio retinuisse poterant, si voluissent. Et  
quamvis non ullo modo Deo operante & appro-  
bante, sed tantum permittente fiant; nec ta-  
men illa vel fieri permetteret Deus, nisi illa  
quantumvis mala, & à se aliena pro omnipo-  
tente suâ Sapientiâ, in suam gloriam posset  
convertere. Et hoc est, quod Augustinus innu-  
meris fere locis ingeminat, cum ait: Nequē  
enim Deus omnipotens, cum summè bonus sit,  
ullo modo sineret mali esse aliquid in operibus  
suis, nisi usq; adeo esset omnipotens & bonus, ut  
benefaceret etiam de malo. Et alibi: Que-  
dam, inquit, facit Deus & ordinat, quedam

1772

tantum ordinat. Iustos & facit, & ordinat. Peccatores autem, in quantum peccatores sunt, non facit, sed ordinat tantum. DEus autem qui summus omnium bonorum efficiens est, dum mala, hoc est defectus fieri permittit verè ociosus est, qui cum sit omnium bonorum causa efficiens, malum, id est, defectum efficere non potest. Dum verò mala ad bonum finem dirigit, negotiosus. Liceat mihi hisce terminis modisq; loquendi uti, ob adversarios, qui negant Deum ociosum aliqua permittere: Non observantes mala defectus esse, cum quibus DEus omnium bonorum efficiens causa dum fiunt, nihil commune habere potest. Ex quibus omnibus duo hæc concluduntur: Mali Principium non esse efficiens sed deficiens, contra Manichaum: nec ulla sui parte à Deo esse, quod est contra Calvinum. Hæc de causa & natura mali mea est sententia, quod scilicet ex nihilo sit, quia omnia quæ corrumpuntur eâtenus corrumpi possunt & corrumpuntur, quatenus ex nihilo creata sunt, & quod nihil aliud sit, quàm defectus à Bono, & boni privatio, neutriquam, & ut cum Platone loquar, & δαμῶν & δαμῶν à Deo originem quoquo modo habens; nisi absurdissime & monstruosissime sentire

rire velimus, Efficientem causam omnium bonorum efficiendo facere defectum, hoc est malum. Et hanc sententiam meam, vel Augustini potius, Philosophicè magis quàm Theologicè tractavi, & quam hic brevius & obscurius repetitam, fusiùs & prolixius in libro ipso exponere conatus sum. Hac si falsa sunt, cur non vincor, si vera cur condemnor? Atq; utinam adversarius meus ad libellum illum meum degustandum accessisset, ut apis, non ut aranea. Utraq; enim ex floribus succum colligit, quem natura pravitate vel bonitate hac in mortiferum venenum, illa in saluberrimum mel convertit. Non quod florum ille roridus & aerius succus ancipitis natura sit, & essentia; sed quod bonis omnia sint bona, qui etiam illa, quæ alterius natura esse videntur, in meliorem partem interpretantur. Eodem modo nebulones quidam Pontificij ex Sanctis Divi Lutheri monumentis, Diabolico more, quæ optimè dicta sunt, calumniando depravantes, nescio qua venena collegerunt, quæ si quis Lutheri ignarus legat, hominem extremè improbum fuisse non immerito judicaret. Non jam dicam de Divi Lutheri, de Servo arbitrio, libro, ad quem si quisquam eodem calumniandi

ant-

animo accederet, quid non colligeret, longè du-  
rius & asperius ab ipso dictum, quàm à me un-  
quam cogitatum est? Age autem ubi in hisce  
verbis meis ullus locus est Calvinianorum ab-  
surdus? Vel totum libellum liquefaciat, ne  
tantillum quidem invenerit, quo hæc Calum-  
nia niti possit. Ubi à me dicitur, Deum quos-  
dam creâsse, ut impiè viverent; quosdam ab  
utero aeternæ morti devotos esse. Aeternum Dei  
decretum causam esse salutis & condemna-  
tionis; Rejectionis causam esse voluntatem  
DEI, non autem peccata hominum; Nec in  
homine querendam esse, sed in primâ causâ  
omnium, liberâ DEI voluntate; Quod vo-  
luntas Dei æqualis causa sit mortis in damnan-  
dis, & vitæ in salvandis; Quod homo lapsus sit,  
quia Deus ita expedire censuerit; Decretum  
esse à Deo, ut Adam deficeret & peccaret;  
Quod in uno Adamo creârit omnes non uno  
fine, sed alios ad gloriam, alios ad ignominiam;  
Quod creârit hominem mutabilem, ut per a-  
busum liberæ suæ voluntatis peccare posset, &  
ita occasionem Deus haberet, alios, quos ad sa-  
lutem creârat, ex misericordiâ servandi, alios  
quos ad interitum creârit, ex justitiâ damnan-  
di; Quod Deus homines efficaciter induret, &

in ma

in malitiâ suâ confirmet. Et deniq; injustos  
non permitente, sed volente Deo perires nec so-  
lâ permissione, sed etjam ordinatione DEI pec-  
care & condemnari? Hac & consimilia quo-  
ties lego, vel audio.

Concutior toties, penit is q, horresco medullis.

Hac si ullibi à me scripta sunt, invito &  
nolenti mihi imprudenter exciderunt, & illa  
ex animo execror & condemno, quibus nec un-  
quâ accessi, nec accessurus sum unquam. Cer-  
tus autem sum, hujus veneni ne minimum qui-  
dem,  $\kappa\rho\sigma\iota\lambda\upsilon\nu$  ex mente meâ in libello illo meo  
inveniri. Incommodiores locutiones, & Phra-  
ses in libello meo duriores, dum Philosophicis  
rationibus arduam illam materiam consecrari  
conatus sum, mihi excidisse non ignoro. Sed  
quid hæc ad hæresin in Theologiâ? Non enim  
hæresis in verbis aut Phrasi, sed in animis ho-  
minum. Quod si admittere noluerimus; quid  
non hæreseos Augustino & reliquis S. Patribus  
imputare poterimus, ex locutionibus illorum  
mixus commodis? Ut enim illi nondum natâ  
quibusdam hæresibus securiùs loquebantur:  
Sic ego etjam sine adversarijs securiùs multis  
in locis locutus sum. Sine tamen ullâ malâ  
meâ mente. Quamvis autem non ignorem  
quã

quàm speciosè Calviniani illa sua, qua supra  
citavi, excusare, & ab omni impietate libera-  
re conentur. Quia tamen solâ permissione non  
acquiescunt, & contendunt Deum mala, qua-  
tenus mala, hoc est, defectus sunt, & fiunt, non  
ociosè (liceat mihi illorum modis loquendi uti)  
permittere, sed efficaciter velle; Deum qui est  
caussa efficiens omnium effectuum, hoc est bo-  
norum, faciunt aliquam causam privationis  
& defectus, hoc est Mali, quod Absurdorum  
Calvinisticorum auctor inter absurdissima  
non immeritò numeraret. Sed hac de re, cum  
Deo, commodiore loco & tempore, alias. Ad  
me quod spectat semper mihi animo & calamo  
propositum erit, ab hujusmodi mali suspitione  
creatorem meum, qui malum neq; dat, neq;  
habet, neq; vult, neq; potest, absolutissimè ab-  
solvere, & mali primam causam & originem  
in liberam voluntatem angelorum & homi-  
num ex nihilo creatorum (ex quo quod crea-  
ti sint, labi potuerunt, & lapsi sunt) remittere.  
Semper enim statui statuamq; dum vixero,  
Causam salutis salvandorum esse voluntatem  
DEI: Causam exitij condemnatorum esse  
voluntatem hominum ipsorum. Nam ho-  
mo sine DEO malè potuit velle, non autem  
bene;

bene ; Sine DEO peccare potuit, non autem bene agere ; Sine Deo à Deo recedere, non autem sine Deo ad Deum redire. Sine Deo labi potuit, non autem stare, aut resurgere. Misericordia ergo & bona Dei voluntas in salute salvandorum una & sola requiritur. Mala autem voluntas hominis ad condemnationem sibi sufficit. Et sic Deus absolutâ suâ voluntate & misericordiâ salutem omnium salvandorum solus per fidem operatur activè & effectivè: Condemnationem verò quicumq; condemnantur sibi metipsis accersunt, Deo nec decernente, nec peragente, nec approbante, nec ullo modo activè & efficaciter volente, sed tantum permitte. Nisi stolidissimè pariter & impissimè dicere & sentire velimus, Deum qui est omniuna quæ sunt, hoc est omnium bonorum & effectuum (ut sic loquar) causa efficiens, & cujus opera non nisi effectus sunt, effectivâ voluntate malum hoc est defectum velle & peragere. Ubi hic aures Calvinii, qui hanc nudam, quam adsero, & defendo Permissionem acerrimè quibus armis potest oppugnat, & incessit? Tantum ergo abest, ut unquam censuerim Deum quacunq; ratione & modo, voluntate suâ non permissivâ & quasi otiosâ, (quam Beza & Cal-

E  
vinus

vinus explodunt) sed efficaci & effectiva de-  
cernere, approbare, peragere, & velle condem-  
nationem impiorum; ut ne concedam quidem,  
quod DEus homines quamvis suâ culpâ jam  
lapsos, malos & improbos, relinquat & deserat.  
Non ignoro Sacra Scriptura loca quaedam du-  
riora, sed qua commodâ interpretatione facile  
emolliri possunt. Certè Dei voluntas effecti-  
va, (ut sic loquar) non solum non est Mali ul-  
lius causa, sed ne permissiva quidem, quâ ma-  
la extra & sine se fieri permittit. Mali enim  
prima origo & Principium est in illo, quod suâ  
naturâ est mobile, & bonum potest deserere.  
Quod ne quidem à parte Dei, quatenus ma-  
lum fieri permittit Deo imputari potest. Deus  
enim immutabile & immobile bonum non po-  
test deserere illud quod bonum est, sed ab illo,  
quod non summè Bonum est, & ex nihilo est,  
potest deseri. Et sic in illo quod bonum dese-  
rere potest mali prima est origo. Philosophicis  
illis supra adductis rationibus hæc disputo, quas  
(cum Deo) Sacra Scriptura veritati consentire,  
certè non reclamare suo tempore, ostendam.  
Dum enim permittit DEus, non deserit pec-  
cantes, sed à peccantibus deseritur. Et pro-  
priissimè loquendo, nec DEI voluntas effecti-

ua, nec Dei voluntas permissiva, sed voluntas peccantis defectiva causa est peccati. Non enim in Deo idem est peccare permittere, & peccantem deserere. Si enim Deus hominem deseruisset, jam habitu, ut Philosophi loquuntur, bonitatis & misericordiae suae, quae omnibus suis creaturis bene vult, mutatus esset, quod de Deo neutiquam cogitandum. Deus à bonitate suâ non potest deficere, nec ulla defectus ratio in Deo cogitari; sed homo, quia ex nihilo creatus est, à Deo, summo bono suo potest deficere. Non ergo DEUS hominum, sed homo cum peccat DEUM deserit. Theologos hâc de re paullo aliter loqui non ignoro: Sed facilis est conciliatio. Deus enim bonum immobile & immutabile, semper manet sui similis, & fidelis, quem creatura infidelitas infidelem reddere non potest. Finge arcem quandam ex solido Adamante munitissimam, & nullis omnino viribus expugnabilem. In illâ homines loco optimo & tutissimo; extra illam à diris hostibus in omnium malorum abyssum abreptum iri. Hic si incolae in manus hostium incidant, quis dicat arcem, quae sui similis fixo semper loco permanet, quasi retrocessisse, & homines eiecisse & deseruisse, & non potius homines arce egressos sua

salutis praesidium reliquisse? Homo ergo cum peccat Deum deserit, non contra. Nam principium desertionis summi boni, (in quo peccatum est) non est in immobili, sed mobili bono, nec est in illo quod deseritur, sed quod deserit. Potest enim homo per se sine Deo, DEUM deserere, & peccare. Quod eo dico, ne quis, cum DEUS peccata permittere dicitur, putet illud fieri, quasi Deus hominem deserat, & in tali permissione aliquam peccati rationem vel causam esse fingat. Hæc de mali causa mea est, & semper fuit sententia: quam in libello illo meo, rationibus, quas supra exposui, Philosophicis demonstrare volui. Et quamvis Theologi nostri paullò aliter loquãtur (habent enim suos illi loquendi modos, quos qui Theologicè disputat religiosè debet tenere) in hoc tamen fine deniq; consentiunt, DEUM mala neutiquam velle & approbare. Nec unquam probari mihi potuerunt voces illæ, quibus adfirmatur, quod eò Deus hominem mutabilem creãrit, ut per abusum libera sua voluntatis peccare posset; Et sic occasionem haberet Deus, eos quos ad salutem creãrit, ex misericordiã servandi, quos verò ad interitum, ex justitiã condemnan- di. Absit, ut talem insidiosam creationem in  
Deo

Deo fingamus, quâ obliquè ex hominum interitu gloriam suam quæreret. Quasi verò Deus justitiam & misericordiam suam aliter patefacere non potuerit, nisi in humani generis miseriam, cui occasionem substraverit, in mutabilitate hominum, quâ abuterentur. Cur autem homo mutabilis creatus fuerit, ejus causam supra veriore[m] exposui. Deus enim in Creatione hominis non solum suam bonitatem & gloriam sibi propositam habuit, verumetjam creaturarum suarum salutem. Quanta verò impietatis est, adserere Deum obliquè gloriam suam quasiuisse ex obliquè predestinatâ hominum condemnatione? Quod enim ajunt Deum homini nihil debere, & ob id justè illum potuisse deserere, & condemnare, Deum à mali causâ non absolvit? Vt enim concedam Deum nihil boni hominibus debuisse, utpote quos ex merâ misericordiâ creavit, certè neq; mali quidquam debuit. Malum autem eis dedisset, quos creâisset, ut condemnarentur. Longè enim satius fuisset, nunquam creari, quam ad condemnationem creari. Quod deniq; hanc impietatem excusare conantur, quod Dei voluntas sit omnis bonitatis & justitiæ regula, qua quos condemnari velit, justissimè condemnet:

impietatem aliã impietate accumulanti. Nam  
dictum illud, quod Dei voluntas non possit in-  
iusta velle, quo toties D. Augustinus utitur,  
rectè & cautè intelligendum est, Nimirum de  
voluntate Dei effectivã, quæ est causa omni-  
um bonorum, semper tendens ad effectum ope-  
ris boni. Mala autem, quæ defectus sunt, hæc  
voluntate suã effectivã non potest velle DEUS,  
sed illa fieri tantum permittit, & patitur extra  
se fieri mala, quibus non opus aliquod DEI  
producitur, sed opus DEI destruitur, & quidem  
Deo non volente voluntate effectivã, sed per-  
mittente tantum voluntate, ut sic loquar, per-  
missivã. Et quæ tamen fieri etiam non permit-  
teret, nisi ad suam gloriam posset convertere.  
Et ut paucissimis verbis ostendam, quàm nihil  
cum Calvino commune habeam: Quantum  
interest, inter malum ipse facere, & malum  
ab alijs fieri permittere, tanta mihi cum ipso  
est discordia. Ait ille Deum, quos in vita  
contumeliam & mortis exitium creavit, ut ira  
sua Organa forent, & severitatis exempla, eos  
ut condemnentur, vel, ut ipse loquitur, in fi-  
nem suum perveniant, nunc verbi sui audien-  
di facultate privare, nunc ejus prædicatione  
magis occacare, & obstupescere. Hic utitur  
Calvi-

Calvinus de Deo verbis Activis, quibus DEUS  
condemmandorum condemnationem voluntate  
suâ activâ, effectivè velit & producat. Hoc  
vero illud est, in quo nodus controversiæ inter  
nos & Calvinum hæret, & quod ego libello  
meo quantumvis Philosophicè cum primis im-  
pugno. Quod nimirum Deus efficiens omnium  
bonorum causa, per actionem, (quam verbis  
activis urget Calvinus) efficienter defectum  
vel malum neutiquam possit producere. Nam  
obstupescitio, privatio, occacatio certè defectus  
sunt vocabula, quæ à naturâ Dei, causa effi-  
cientis omnium bonorum, infinito intervallo  
disjuncta esse, in victis rationibus demonstro.  
Dicit ille disertissimis verbis, quod improbè  
verbo Dei non obtemperent, probè in malitiam  
pravitatemq; cordis eorum rejci, modo simul  
adijciatur, ideo illos in hanc pravitatem addi-  
ctos esse, quia justo Dei judicio suscitati sint ad  
gloriam ejus suâ damnatione illustrandam.  
Quibus verbis significatur, damnationem po-  
tissima partis humani generis non tam ad ma-  
litiam ipsorum hominum, quàm ad Dei præde-  
stinationem referendam esse, quàm damnatio-  
nem Deus non permissivè ab ipsis hominibus  
fieri patiatur, sed effectivè ipse faciat, & per-  
E 4 agat.

agat. Hisce verbis tanquam lapidibus semper  
mibi cerebrum, (ut cum Comico loquar) per-  
cuti sensi, & à quibus tanquam monstrosis &  
atrocibus animo, linguâ, calamo semper ab-  
horruï, & abstinui. Qui contra semper dixi  
& statui, quod homo non nisi sine Deo (eo quod  
ex nihilo est) possit deficere à Deo, & labi,  
(hoc enim defectus est, & contra DEI natu-  
ram, qui tanquam efficiens caussa defectum  
effectivè producere, vel efficiendo destruere  
nec vult, nec velle potest.) & quod homo non  
nisi per DEum possit resurgere & salvari, (hoc  
enim effectus est, & est ex Dei naturâ, qui  
non est deficiens sed efficiens caussa, & defe-  
ctum in homine lapsò effectivè reparat, & re-  
staurat, tanquam efficiens caussa non nisi bo-  
norum). Quidquid enim efficitur, non nisi à  
Deo omnium efficiente causâ efficitur, & bo-  
num est: quidquid verò destruitur, non nisi,  
quia ex nihilo creatum est, destrui potest, &  
Deo tantum permittente destruitur, & est ma-  
lum. Dei enim opera hic procedunt à malo ad  
bonum, à nihilo ad Ens, à defectu ad effectum.  
Contra dum malum permittente Deo fit, fit  
processus Dei operibus & effectis prorsus con-  
trarius, ab Ente ad non Ens, à bono ad malum,  
ab ef-

ab effectu ad defectum, & fit in illis, quæ ex ni-  
hilo creata sunt. Et hæc ut eo evidentius de-  
monstrari possint, ipsi Bono malum, & ipsi En-  
ti nihil, docendi causâ, docendi inquam (quod  
bis atq; iterum repeto) oppono. Et hæc in libello  
illo meo rationes, quibus haud scio an unquam  
alijs Calvini pariter & Manichæi sententia,  
(Uterq; enim in adsignandâ primâ peccati  
causâ periculosissimè errat.) validius oppugna-  
ta & labefactata sit. Certè Calvinus effugere  
absurdum hoc non potest, quin concedere cogat-  
ur, quod in verbis suis aliquam defectus ratio-  
nem & causam Deo omnium honorum effi-  
cienti causæ attribuat. Ut uno verbo omnia  
dicam hæc mea semper fuit, est & erit senten-  
tia, Neminem nisi Gratiâ DEI salvari, nemi-  
nem nisi propriâ suâ culpâ condemnari. Et  
Christi meritum in universo mundo per Euan-  
gelium omnibus peccatoribus suâ culpâ dam-  
natis non aliter proponi;

-- Ut lumina Solis & aura.

Ad hujus lucem Deus per Spiritum San-  
ctum illis, quibus vult, efficaciter oculos ape-  
rit. Alios verò jam ante suâ culpâ malos &  
miseros, non ulterius occæcat, non indurat,  
non avertit, non surdos reddit, effectivè, ut

Es Calvin.

Calvinus vult, sed sinit illos suâ culpâ jam  
malos, suâ culpâ ulterius per seipsos indurari,  
occacari, stupefieri, & à lumine illo, à quo suâ  
culpâ jam alieni sunt, sua culpâ aversos ma-  
nere, & ulterius deficere. Nam, ut toties  
dixi, homo sine Deo, à Deo deficere & labâ  
ac peccare potest, Non verò per se ad Deum  
reverti & resurgere: Et hoc disputationis &  
sententia mea intentum, quia Aristarchus  
meus, vel ex stupore non potuit, vel ex mali-  
tiâ noluit intelligere, ad duriora quadam ver-  
ba, & asperiores quasdam horridioresq; locu-  
tiones, (qua plurima, fateor, in illo libello oc-  
currunt, sine ullâ tamen malâ meâ mente) se  
convertit, qua nudè & malâ fide allegata spe-  
ciem erroris illius habent, quem ex auctoris  
sui proposito de industriâ oppugnant, ut sic in-  
cauto lectori & imperitoribus glaucoma ob o-  
culos obijcere, & fucum facere possit. Quo au-  
tem artificio hoc faciat: & quâ fronte, fide, &  
conscientiâ libellum meum citet, jam videbo.  
Quod dum facio ab aequo ac benevole lectore  
hac duo mihi jure meo postulo. Primum ut  
verborum meorum interpret ipse maneam.  
Deinde ne mihi jam in Theologorum ordinem  
recepto, apud se illa fraudi esse patiat, qua  
Philo-

Philosophicè ante decennium scripsi cum Philosophiam adhuc sectarer, nec unquam mihi persuaderi passus fuisset, fore ut DEI Providentiâ ad hunc locum olim admooverer. Tum temporis Philosophus, (liceat mihi ita insanire etiam cum me longè junioribus, qui in Philosophiâ nescio quid sublime & arduum de se sibi & alijs pollicentur, cujus ne prima quidem limina mecum solutârunt) in hac materiâ de causâ mali cum Theologis nostris idem quidem sensi, sed non iisdem verbis locutus sum. Et quis in Disputatione Philosophicâ jure hoc exigere possit? Iam inter Theologos receptus non solum idem (cum Deo) cum ipsis sentiam, sed iisdem etiam verbis loquar. Et jam dudum, ante, quam scirem illum de Scholâ hominem in rerum naturâ esse, constitueram, si forte olim libellus ille i' eratâ editione recudendus esset, omnes asperiores Phrasas & locutiones, quibus rudiores & imperitiores offendi possint, tollere, & libellum illum meum cum Theologis nostris sentire pariter, & loqui jubere.

Sunt autem tria, qua in libello meo Calvinistica absurditatis insimulat. Primum quod dixerim malum fuisse necessarium. Alterum quod dixerim sine malo justitiam & misericordiam

sero

sericordiam cognosci esse, & in mundo exerceri non potuisse. Tertium, quod dixerim voluntatem Dei mala velle & imperare non posse. Hæc enim verborum meorum, quæ citat, mens est, & sententia. Demiror autem hominem, quod cum per Calumniam librum meum cum auctore suo Calvinistica absurditatis apud imperitiores vellet suspectum reddere, non alia quadam citârit, quæ nudè allegata longè absurdiora & atrociora rudiorum aurium iudicio forent. Et quæ tamen commodâ interpretatione explicata & emollita nihil prorsus absurditatis habent. Talia sunt quorundam Capitû argumenta, ut cum dico, quod DEVS malum impedire, non potuit, non debuit. Quæ sanè (ut verum fatear) cum rudiores videam offendere, mællem mollioribus verbis à me fuisse enunciata. Verba enim illa DEI omnipotentiam & bonitatem in dubium vocare videntur. Quæ mox justâ explanatione à me emollita, nihil aliud significant, quàm Creaturas ita creari debuisse, ut sunt creata, & creatori suo æquales creari non potuisse. Quæ omnipotentiam & bonitatem Dei validissimè commendant & demonstrant.

Jam ad primum quod spectat, verba mea  
sic

*sic citat. Necessarium erat, ut esset malum, ut immensa Dei bonitas in omnibus maximis & minimis & esset, & innotesceret. Hic frontem & conscientiam calumniatoris mei convenio, qui utrâq; nisi caruisset, unam lineam continuò proximè sequentem addidisset; & verba hæc, quæ illis prioribus subjungo: At necessarium item erat, ut illud Malum à Deo non esset, aut à Bono proficeretur, Neque enim contraria ex contrarijs oriuntur, &c. Hæc si addidisset, ecquid habere potuisset, Canis hic, quod allatret? Hic ad judicia omnium bonorum provo-co, Ecquidne hæc sit per industriam deditâ operâ & arte Diaboli quasita Calumnia? Hoc profecto illum non nisi ille docere potuit, qui jam olim eodem artificio magistrum & Salvatorem meum Christum è templi pinnis precipitare conatus fuit, cum dixit: Angeli custodient te: omissò illo, quod addendum fuerat: In vijs tuis. Eodem prorsus Diaboli magisterio Pontificij nebulones ex Divi Lutheri optimis libris collegerunt, quibus ipsum rudi vulgo abominandum & execrandum, & ipso Cacodamone formidabiliorem reddiderunt. Sed injuriam hanc pati malo, quàm alijs inferre, de quâ*  
DEO

DEO veritatis vindici & innocentia defen-  
sori, & cuius candido & sincero lectori iustum  
& liberum iudicium relinquo. Quod si vo-  
cabulum illud Necessitatis premat, quod dicam  
Necessarium fuisse, ut esset malum: premat &  
torqueat quantum potest. Nullo eculeo, nullis  
fidiculis admotis unquam inde ex meâ mente  
Calvinismum extorserit. Neg, enim inter nos  
& Calvinum de hoc propriè hoc quidem loco  
est controversia, Ecquid malum esse oportue-  
rit, sed unde illud sit. Quod nos dicimus or-  
tum esse à liberâ voluntate angelorum & ho-  
minum, Deo nec volente, nec probante, nec o-  
perante, nec quoquo modo effectivè promovente,  
sed tantum permittente, quatenus illud ad  
bonum finem, ipsi malo non propositum, potest  
convertere. Calvinus dicit non purè permit-  
tente DEO fieri, sed decernente, & effectivè  
volente Deo, & mali causam absolutam esse  
voluntatem DEI: Et permissionem illam nu-  
dam, quam asserimus, quantum potest impu-  
gnat. Quod si adversarius meus omnem ne-  
cessitatem intelligat de Necessitate absolutâ &  
simplici, qua propriè in DEO fundatur, in ma-  
gno profecto errore versatur. Sic enim etiam  
scandala, & hereses, qua teste Salvatore meo  
Chri-

Christo, & ejus Apostolo Paulo evenire, & esse  
necessarium est, DEO impingerentur, & ipse  
Deo va diceretur, per quem scandala fierent.  
Recordari ergo debuerat, non me primum sic  
locutum esse, sed Christum & Paulum, ante  
me. Quos si ob vocabulū necessitatis Calvinis-  
mi non accusavit, neq; me condemnare debue-  
rat. Cur non meminit aliam necessitatem esse  
simplicem & absolutam, aliam, consequentia  
sive conditionis. Utramq; in verbis meis, sub-  
lestā fide ab adversario citatis, expressi. Dixi  
necessarium esse malum à Deo non esse. Hoc  
de simplici & absolutā necessitate intelligen-  
dum est. Non potest enim Deus non esse bo-  
nus, & omnia quae facit bona facere: Et DEUS  
mala non potest velle, & facere, idq; necessa-  
rium est simpliciter & absolutè: quod non uno  
in loco in libello meo demonstravi, & quod u-  
num me apud omnes bonos omni hac suspicione  
in solidum meritò absolveret. Cum autem  
dixi, necessarium fuisse ut essent mala, de illā  
necessitate loquor, de quā Christus idem adfir-  
mavit, nempe de necessitate consequentia &  
Conditionis, quae in Creaturis locum habet.  
Hic enim in creaturis causa praecesserunt, qui-  
bus positus effectus, vel potius defectus necessi-  
tate

tate conditionis secuti fuerunt, & quæ tamen  
caussa mutari potuissent. Hasce causas in li-  
bello meo ordine deduco. Homo, ut debuit, libe-  
râ voluntate donatus erat, sed mutabili, quâ  
adherere Deo potuit, potuit item à Deo desi-  
cere. Qui cum Deum deseruit (quod potuit  
facere, & non facere) necessario in malum la-  
psus est. Quis hic Deum accuset, qui quod nec  
voluit, nec fecit, fieri permisit in illo, qui stare  
potuisset, nisi voluisset labi? Nec tamen fieri  
permisisset, nisi boni aliquid inde elicere potuis-  
set. Quis ergo hanc mali necessitatem DEO  
impegerit? Nonne Adam ex libertate fecit ne-  
cessitatem? Nonne postquam liberâ voluntate  
peccavit se & nos posteros suos in necessitatem  
præcipitavit? Certè quiduid Deus permittit  
fieri, causis positis, quamvis mutabilibus, ne-  
cessario fit, illâ, quâ dixi, necessitate. Cum  
verò addidi: Malum à Deo fieri permissum  
esse, ut Dei bonitas, & esset & innotesceret. Ul-  
tima verba majoribus litteris exprimi cura-  
vit. Acumen hominis! Nempe hinc illud  
exstruere voluit. Quasi adfirmarim sine com-  
paratione Mali Bonum prorsus esse non posse.  
Ego vero melior verborum meorum interpre-  
sum, quàm Diabolus, & verba hæc multis alijs

locis

locis libelli illius interpretatus sum, ex verbis  
illis Lactantij: non apparere vim boni posse,  
nisi ex mali comparatione: & verba illa mea:  
esset & innotesceret, Interpretor, ut supra, esse  
innotesceret. Quia Lactantio teste (ut in li-  
bello meo toties repeto) Malum si tollas, cog-  
nitionem boni practicam, & quasi experimenta-  
lem tollis. Et hanc causam esse dico, cur DEUS  
malum, quod odit, fieri permiserit. Quam et-  
jam Divus Augustinus hisce verbis adserit:  
Quamvis qua mala sunt, in quantum mala  
sunt, non sint bona. Tamen ut non solum bo-  
na, sed etiam sint & mala bonum est: Nam  
nisi esset hoc bonum, ut essent & mala, nullo  
modo sinerentur esse ab omnipotente Deo. Hanc  
autem causam Aristarchus meus irridet, cum  
ait: Egregia me hercule causa! Et qui homun-  
cio, si aliam causam edere postularetur, ipso  
haud dubie pisce mutior futurus esset. Est enim  
hominum aliquod genus, qui mirifice sibi pla-  
cent, & sapientes videntur, si in gravioribus  
& obscurioribus alijs fortiter possint contradi-  
cere, & quaestiones nectere intricatissimas, de  
quibus ipsi interrogati ne gry quidem possent  
respondere, & nihil quidquam proficiunt, quam  
ut omnibus innotescat, quod illa, quae alios sci-

F

re po-

re postulant, omnium primi ignoraverint. Sed facile est melioribus contradicere, & bene dicta in dubium vocare illis, qui ipsi meliora non possunt. Ejusdem prorsus generis est etiam alterum cavillum illud, quo verba mea incescit, quod dixerim, illam causam fuisse, quod DEUS malum fieri permiserit, quod sine illo, Iustitia & misericordia DEI esse, & in creaturis exerceri non potuerit. Et hinc, nescio quas, aures eminare dicit. Equidem quamvis consimiles locos plurimos ex patribus possim allegare, quibus disertis verbis dicunt, sublato malo etiam bonum tolli necesse esse, saltem quoad cognitionem practicam, ut sic loquar, & non videam quomodo Iustitia exerceri possit, nisi in bonos quatenus premijs, & malos, quatenus penis adficiuntur: Tamen aperte dico, me quidquid in meo libello in hanc sententiam occurrit, tantum intelligi velle de Cognitione Practicâ quoad creaturas, & cum hic dico; quod Bonitas DEI sine Malis esse non potuerit, Idem volo ac si dicerem: cognosci non potuerit. Et subit Diogenis illud, qui cum à perdito quodam nebulone colapho percussus esset; subridens, Incautior, inquit, fui, qui caput galeâ non muniverim. Ego etiam incautior, qui Ophiopha-

ges & Psyllos mihi paratos esse non praeviden-  
rim, qui serpentibus, & venenis cibi loco ves-  
cuntur, & unde alij salutare mel, ipsi venenum  
lethale hauriunt. Nempe qui aliorum incom-  
modè dictis victitant & delitiantur. Certè si  
tales mihi paratos praevidere potuisssem, longè  
cautiùs & commodiùs locutus fuisssem. Sed  
non illud mihi vel oculorum, vel ingenij acu-  
men, quale nostratum quorundam, qui futura  
nòrunt, & Rostochij vident, quid Islebia gera-  
tur. Quasi verò in libello illo meo non toties  
dixerim: Bonum sine malo esse posse. Malum  
verò contra non posse esse sine Bono, eo quod bo-  
num per se suâ naturâ possit subsistere. Malum  
verò. (cum non sit per se natura aliqua) non ni-  
si in Bono subsistere possit, cujus est Privatio.  
Ut autem dixi Bonum sine Malo esse posse:  
(Fuit enim DEus ab aeterno Summum omni-  
um Bonum, cum nihil mali; nullius Boni pri-  
vatio esse & intelligi potuit) Sic contra dixi  
Bonum sine Malo intelligi à creaturis non posse  
intellectu & cognitione, ut sic loquar, Practicâ.  
Quamvis cognitionem Theoricam non negem.  
Et hinc est, cur Summo omnium Enti & Bo-  
no Deo, quatenus ab aeterno Summum Bonum  
esse & fuisse intelligitur, in libello illo meo Ni-  
hil op-

bil opposuerim, idq̄, docendi & intelligendi gratiâ. Nihil, inquam, non Privativum, ut in Scholis loquimur, quod non nisi in re bonâ, quæ corrumpitur, considerari potest, & in Summo & æterno Bono Deo neutiquam considerari potest: Sed nihil negativum, quasi extra DEum Deo ab æterno oppositum. Idq̄, ut toties repeto, docendi & intelligendi tantum gratiâ feci, & cognitionis, ut sic loquar, Theoricâ causâ. Ut ostendam hinc esse illam inæqualitatem inter Creatorem, & creaturam, quæ ex nihilo creata est, ex quâ illa possibilitas, ut sic loquar, labendi, & à Deo deficiendi, quam non satis apertè, Inclinationem ad Malum in Phosphoro meo voco, commodo scilicet vocabulo, quo hæc possibilitas labendi exprimitur, destitutus. Quæ si quis non hostili, & jam ante præjudicio quodam præoccupato animo legat, & quas rationes ex illâ oppositione educo, placidè admittat, videbit & experietur, de DEO & Naturâ Boni, nihil magis piè unquam dictum esse, neq̄ validius quidquam Manichæis & Calvinianis in disputatione de Causâ Mali unquam fuisse oppositum. Et hoc toto libro mihi propositum est ostendere quomodo Bonum collatione & Comparatione cum malo commendetur, cognoscatur,

scatur, & esse intelligatur; Et quomodo Deus ab omni etiam minutissimâ mali suspitione longissimè sit removendus. In hanc sententiam, D. Augustinus: In mundo, inquit, etiam illud, quod malum dicitur, bene ordinatum est, & suo loco positum eminentiùs commendat bona: Et ut magis placeant, & laudabiliora sint, dum comparantur malis. Hic profectò nullas in me Calvinianas aures detego, sed in adversario meo vulpinas vel Decumanas observo, qui vel veritatem, quam videt dolosè dissimulat, vel ingenij obesitate inhibitus eam non adsequitur.

Jam quod ad tertium & ultimum attinet, quod in libro meo reprehendit, condemnat quod dixerim, DEI voluntatem, mala velle & alijs imperare non posse. Sed omnia illa, quæ ipse voluntate suâ imperet, & effectivè velit & jubeat, necessariò esse bona. Hæc enim verborum meorum est sententia, cum dico: Si Deus peccata, furta, homicidia, parricidia, omnium, tuâ sententiâ, injustissima vellet, & hominibus imperaret, non solum illa mala non essent, sed insuper optima & justissima forent. Hic dico, Dei voluntatem absolutâ necessitate bonam esse, & quæ ille

F 3                  volun-

voluntate sua efficaci velit, mala esse ne-  
quam posse. In hisce apertum Calvinismum,  
de peccati causa contineri, incautis persuadere  
conatur. Qua autem fronte & conscientia &  
quam verè hoc faciat, videbimus. Non dissi-  
mulo, quòd Calvinus ejusq; discipuli, ex Augu-  
stino pro sua sententia sapius identidem illud  
citant, quod Dei voluntas sit causa omnium  
bonorum. Sed malè & dolosè hinc mox infe-  
runt, quod DEUS si malorum & peccato-  
rum causa esset, malos indurando, occacando,  
& obstupesciendo, & illa effectivâ voluntate  
faciendo, quæ ad malorum exitium spectant;  
illud etjam quatenus à voluntate efficaci DEI,  
ut dicunt, proficiscitur, bonum sit. Hoc verò il-  
lud est, quod audire exhorreo, & dicere refor-  
mido, & si quid unquam tale incauto mihi ex-  
ciderit præter & extra mentem meam, id meo  
calculo omnium primus condemno & deorveo.  
Quam verò nihil cum hac impietate commu-  
ne habeam, hinc videre est. Præclarè ab Au-  
gustino dictum. Non fit aliquid, nisi omnipo-  
tens fieri VELIT, vel sinendo, ut fiat, vel ipse  
faciendo. Hinc duplicem in DEO voluntatem  
considero: Unam permissionis, quâ, sine se, ma-  
la & defectus fieri permittit, quæ ad bonum fi-  
nem

mem novit dirigere. Hanc voluntatem superius docendi gratiâ, permissivam appellavi. Alteram actionis sive perfectionis quâ omnia bona, tanquam sua opera & effectus, ipse causa omnium bonorum efficiens, vult, operatur, adjuvat, & promovet efficaciter, quam superius voluntatem efficacem, vel effectivam appellavi. Hâc voluntate fiunt omnia bona à DEO efficaciter, bona, inquam, quæ vergunt non in exitium & perniciem creaturarum DEI, sed præsidium & salutem. Illâ permittuntur fieri omnia quæ mala sunt extra DEUM, idq; non ullo modo operante, sed tantum extra & sine se permittente DEO. Mala, inquam, quæ vergunt in fraudem perniciem & exitium operis Dei & creaturarum. Hâc voluntate Dei efficaci fiunt effectus boni, cum voluntate DEI effectivâ congruentes. Illâ permittuntur fieri defectus mali; cum voluntate DEI effectivâ absolute pugnantes. Et utrorumq; (bonorum, quæ Deo efficaciter volente fiunt) & malorum (quæ fiunt Deo permittente quidem, sed non volente voluntate efficaci) duas causas primas adsigno. Bonorum quidem summum Ens omnium Entium DEUM, efficiens Principium omnium Effectuum & bonorum,

Malorum verò imam omnium defectuum  
causam deficientem, principium (liceat sic lo-  
qui) omnium defectuum & malorum, quod do-  
cendi & cognoscendi gratiâ, ex Divo Augusti-  
no, Nihil voco, qui dicit creaturas deficere po-  
tuisse, quod nō ex Deo genita, sed quod ex Nihilo  
creata sint. Jam si Deus hâc suâ voluntate,  
de quâ dixi, effectivâ & efficaci & omnium  
bonorum efficienti causâ furta, homicidia, a-  
dulteria, &c. imperaret, illa profecto alijs, qui  
paterentur pœna justissimâ essent, ipsis autem  
qui agerent & exsequerentur mandatum Dei,  
in fraudem & animi perniciem vergere non  
possent, & in illorum animis non esset defe-  
ctus à Dei voluntate efficaci (in quo omnium  
malorum origo est) sed effectus, ut qui volun-  
tatem DEI exsecuti essent. Certè homo non  
condemnatur illis, quæ Deus effectivâ volun-  
te præcepit, illa enim bona sunt; sed quæ per-  
missivâ voluntate suâ, contra voluntatem su-  
am effectivam fieri permittit. Illa enim sunt  
mala. Et si quæ DEUS illâ efficaci suâ vo-  
luntate juberet tuâ forte opinione furta, homi-  
cidia, adulteria, illa naturam peccatorum,  
quæ nominibus illorum denotantur, non habe-  
rent. Deus enim quia absolutâ necessitate bo-  
nus.

nus est: non potest efficaciter & effectivè quidquam cuiquam imperare, quod ad hominis, cui imperat, fraudem & exitium possit vergere. Hæc dum animi vitio cæcus adversarius meus non videt, me in Calvinismum, quem si quisquam alius hoc libro meo vehementissimè quantum possum oppugno, impingere conatur, & imprudens semetipsum in nihilo tolerabiliorem errorem præcipitat. Ait enim: Non lege solum, sed suâ naturâ sunt mala. Hic verò omnes Theologos pariter & Philosophos saniores contra se concitat, Qui dicunt Nihil suâ naturâ, quatenus natura est, malum esse, sic ut ne Diaboli quidem natura, quatenus est, mala sit, teste Augustino. Certè in universo absurdorum libro nihil est absurdius, quàm dicere aliquid suâ naturâ malum esse, non autem solum lege & voluntate DEI. Et hoc absurdum omnem Calvinismum & Manicheismum suâ enormitate superat & transcendit. Si enim est aliquid malum suâ naturâ, extra voluntatem Dei in lege expressam, quod suâ naturâ malum est, Etjam erit aliquid boni extra voluntatem Dei. Et sic Dei voluntas non erit optima, nec una ac sola omnis illius, quicquid boni cognomen meretur, regula, & perperam

F s

quoti-

quotidie oraremus : Fiat voluntas tua. Calvini-  
nus censet Malum aliquâ sui parte à DEI vo-  
luntate effectivâ esse: impiè & hæreticè. Mani-  
chæus censuit Malum omne esse ab altero Prin-  
cipio Mali, Bonum omne esse ab altero Princi-  
picio Boni. Hic omnem horum furorem insaniâ  
superat, perhibens extra Principium Boni esse  
aliquid bonum, vel quadam mala esse, non  
quia contra legem vel voluntatem DEI effecti-  
vam fiant, & avopior sint, sed quia suâ naturâ  
sint. Tu verò distingue mihi inter opus DEI,  
hoc est effectum à voluntate DEI effectivâ  
procedentem, & inter defectum, qui à malo  
est, & fit permittente Deo voluntate suâ per-  
missivâ. Vir, quando cum muliere concum-  
bit in conjugio, vel adulterios; Dum hominem  
occidit in bello vel latrocinio; dum bona, quæ  
alterius fuerunt, pro precio, vel per furtum au-  
fert: Quæro, quid hic intersit? Nihil profecto,  
quoad ipsum opus, ad ipsum motum, qui est ef-  
fectus utrobiq; omnium bonorû efficientis Dei.  
Illud verò quod ipsi effectui in operante adjun-  
ctum est, nimirum defectus à voluntate Dei  
in lege Dei expressâ, illud malum & pecca-  
tum est, & non est effectus voluntatis Dei a-  
ctiva, sed defectus ab illâ, & permittitur fieri  
volun-

voluntate Dei, non effectivè volente, sed tantùm permittente. Et hinc adeò est, quod illa legitima sint & licita: hæc verò peccata, nempe contra legem & mandatum ac voluntatem Dei commissa, qui illa prohibuerit. Et hæc ad Tertium, quod in libello meo condemnat.

Atqui longè plura alia ego ipse jamdudum inter legendum observata meo ipsius stylo confodi & jugulari, non tam quod sententiam aut mentem occultent minus sanam, quam quod mentem auctoris sui non satis commodè exprimerent, & in calumniam rapi possent ab illis, à quibus nihil tutum & securum esse potest. Id quod, si forte editio olim iteranda sit, lectori satis superq; re & opere ipso probabo; Et consilium hoc jamdudum in hæc Academiâ & domi mihi natum, nullius de Scholâ hominis consilio, auxilio aut subsidio indigebat. Absit enim, ut more quorundam semel animo conceptam opinionem mordicùs teneam tuear ac defendam, aut pudori ignominiaeve mihi ducam aliquid recantare, quod antea minus rectè adseruerim. Inò verò laudi mihi duxero, & certissimum profectus argumentum, quotidie melius sentire, & quocunq; modo, vel à meipso, vel ab alijs rectius erudiri. DEUS VERITAS

ritas est. Ad hanc omnes debemus contendere, & ad quam regis Αγαπώεις Καθησίων, ut Philosophus dicebat. Non desunt nostrâ aetate, qui se & alios præcipitarunt, & florentes Academias miserrimè turbarunt, dum semel animo conceptam opinionem mordicus tueri, & adfectibus suis indulgere, quàm veritati concedere maluerunt. Longè alia mihi mens, alius animus; & quem de me citiùs præstare, quàm promittere possum. Vetus illud est, Errare humanum esse, In errore perseverare Diabolicum. Ego nullis unquam adfectibus ab amore veritatis me transversum rapi patiar; quod qui facit jam à Deo exsulat, & ad castra Diaboli transfert, qui in veritate non perstitit. Et hæc ad adversarij mei Epistolam rudi & tumultuario scriptionis genere ( & in quo Epistolam adversarij mei non infeliciter imitatus mihi videor ) pro Phosphoro meo libro Philosophico, Philosophicè magis, quàm Theologicè reponere coactus fui. Suo tempore & loco commodiori, cum Deo, plenius & uberiùs hæc de re Theologorum verbis pariter & rationibus dicturus, & omnem intentati mihi erroris suspicionem apud omnes bonos & doctos plenissimè amoliturus, & hanc meam Philosophiam,

621B

cum Theologiâ conciliaturus. Quod autem  
in fronte Epistola de illis, qui neq; fervidi, neq;  
frigidi, sed tepidi sunt, argutatur, aut verius  
alucinatur; non satis intelligo. Si me inter il-  
los recitat; qui in gratiam diversi sæpè magi-  
stratus Calvinianam religionem simulant &  
dissimulant; mei vel odio vel ignorantia pec-  
cat, & forte utroq;. Ego verò hujusmodi si-  
mulatores ex animo odi & aversor, cui semper  
frons cum animo, animus cum ore, lingua cum  
mente consensit. Semper qua locutus sum sen-  
si, & qua sensi locutus sum. Et norunt illi, qui  
mecum familiaris vixerunt, me præcipua &  
dicendi, qua sensi, libertate non semel aliorum  
odia, invidiam & similitates mihi conflavisse.  
In illis verò qua Religionis & Fidei confes-  
sionem concernunt, longè præstabilius esse deputo,  
usum lingua nunquam à Deo accepisse, quàm  
illam in gloriam Dei, & veritatis confessionem  
nolle convertere. Non defuerunt inter Ethni-  
cos, qui vitam, quàm veritatem deserere ma-  
luerunt. Quid nos qui Christiani audimus, &  
quibus ille veritatis splendor clarius illuxit?  
Quod si hisce meis verbis forte quibusdam ho-  
minibus fidem non facio, sufficit mihi, quod me  
ipsum testem habeam, & illum, quem nemo  
potes

potest fallere. Quod deniq; sub finem nescio quem Panicum terrorem incutere mihi conatur, dum, se minitatur, qua ineptè & impiè de Nihilo, quatenus Enti opponitur, Sophistice (hiscè enim verborum delitijs utitur) alibi accuratius exanimaturum; non adeo metum aut formidinem mihi incussit, quin optarim potius, auctorem hac jamdudum prestitisse, quàm jam minitari. Nonne hoc toto novennio prestari potuit? Latrantes canes, ut in Proverbio est, minus mordent. Et libellus ille meus à cervis sibi non adeo timet, qui etiam leonum incursum, Dei presidio, sustinere, non formidat. Tu verò si quid potes, quid minitaris? Subit animum. Apologus ille, de vano quodam adolescente Rhodio, qui cum se insulse jactaret, quod Rhodi incredibiles fecisset saltus. Reliquis admirantibus, quidam interpellato sermone; Ecce, inquit, hic Rhodus, hic saltus. Interim dum hunc saltum vel jam facis, vel jam facere aggredieris, ne imiteris bruta animalia, quibus in contentione non veritas, sed victoria proposita est. Id autem ut facere possis, exue te ipsum; & adfectus illos, qui te ad Epistolam illam scribendam contra me impulerunt, & quibus impeditus viritatem videre minimè poteris.

Si me

Si me sanis rationibus meliora & veriora do-  
cueris, non tanquã victus lugebo, sed ut victor  
victorum mihi gratulabor, & aternas tibi  
agam gratias, qui me ad veritatis lucem de-  
duxeris. Si autem rectiora & veriora non no-  
veris, quasb hisce mecum utere. Sanè ad di-  
sputationem meam de Ente, cui docendi & co-  
gnoscendi gratia Nihil oppono, quod spectat, si  
pauculas incommodiores locutiones demsero,  
& alia pauca, quæ posterior dies rectius docu-  
it, (quod nemo me ipsius rectius poterit) certus  
sum te Solem è cælo citius direpturum, quam  
fundamenta mea dirueris. Abstine te à con-  
vitiis, quibus quivis facile tibi responderit.  
Facile in vitijs licet excellere. Quod si hostili  
animo me persequi, insectari, traducere, bonis  
suspectum reddere, & vel subvertere, vel sal-  
tem premere porro conatus fueris; memento  
proverbij illius: Illum non quiescere, qui ali-  
um persequendo inquietet; Et consilia illa tua  
mala, tibi ipsi, & consultoribus tuis, quicunq;  
illi sint, (forte propiores mihi, quam par sit)  
fore pessima. Deniq;, ut tandem concludam;  
Ubi Deum, quo nullus tutor & patronus  
certior, propitium tenzéro; ubi meam consci-  
entiam & meipsum, (quo nullus mihi amicus

fide-

fideliior) cū Deo, inuolatum mihi conservave-  
ro; ubi deniq; Illustrissimum meum Principem  
innocentia defensore, & injuriarum vindicē  
inviētissimum (cui DEus longissimam vitam  
benignè indulgeat) saluum & incolumem  
habuero: Lubinus Diabolum,  
ejusq; canes nihil curat.



F I N I S.











